BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLV
B
35
NAPOLI

B. 35
23. 16.

2

JOANNIS BISSELII,

è Societate JESU,

PALÆSTINÆ,

Seu,

TERRÆ-SANCTÆ,

TOPOTHESIA,

Secundùm Regiones, ac Tribus, expreſſa.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Permiſſu Superiorum.

AMBERGÆ,

Formis Georgii Haugenhoferi.

Anno M. DC. LIX.

A,

,

A,

L;

ULIS,
itaria
quod
, præ-
ſtiti)


ARUM.
68
Syri
Damascus.
IA.
Pars Arabiæ Felicis
Pars.
Oriens
Straboni
ARABIA
FELIX
tinæ.
iarum
DENI
AE.
VIARI
68
ETOR,
URIS.

CHANAANITIDIS,
Quæ vulgò etiam
TERRA-SANCTA,
Seu
PROMISSIONIS,
&
PALÆSTINA,
nominatur,
Brevis, & Compendiaria,
TOPOTHESIA;
Secundùm Regiones, ac Tribus, expreſſa.

CAPUT I.
Occaſio, conſilium, ac diſtributio, Scripti.

Quo tempore, locóque, SAULIS, Iſraëlitarum Regis, acta militaria Ruinámque deſcribebam (id, quod ante bienniũ jam, ac ſiquid eſt ulterius, præſtiti)

ſtiti) majoris rerum lucis gratiâ, nobiliúmque nonnullorum Hiſtoriæ ſcriptorum exemplô provocatus: medio propemodum illius Ruinæ corpori, Regni Terrarúmque, quas Sauli Deus, ac Davidi, regendas commiſerat, Deſcriptionem, cum finitimis earum regionibus, inſerüi. Poſtquam autem, ſicut ſcribenti priùs mihi labor inter manus, ſic poſtea volumen inter typos, ac prælum, plus juſtô viſum eſt accreviſſe; mutavi propoſitum: contentúsque tunc, Palæstinæ Topothesiam polliceri; promiſſi ſolutionem in tempus ac locum alium aptiorem, diſtuli. Viſus eſt autem hic demum locus, & hoc tempus, aptiſſimum. Quô proinde, quod pollicitus ſum, ecce, repræſento: ſeriùs fortaſſe nonnemini, quàm, oportuiſſe, videri poſſet iis; qui jam à principio rerum Saulis, *Terra-Sacra* cognitionem deſideràſſent: quippe, jam tum occurrente crebrâ locorum illius mentione. Sed, mediusfidius! ſi neceſſaria tunc fuerat aliquantò penitior Chanaanitidis regionis peritia: nónne propemodum ejusdem, ac pæne majoris cujusdam, neceſſitatis fuiſſet, Decade jam Secundâ? Ruinâ præſertim Chananæorum Regum, & Abimelechi, Siſaræ, Gazensíſque gentis,

gentis, ac Philiſthææ? Ne dicam hîc: etiam Salluſtio, Jugurthini belli compoſitori; poſt multa jam, de Micipſa, filiis Micipſæ, Jugurtha, Numidiáq;, memorata; tum deniq; tempus eſſe locúmq; viſum, Africæ deſcribendæ. Cornelius quoq; Tacitus, cùm in Annalibus ſuis aſſiduus ſit Germanicarum rerũ expoſitor: Germanicarũ tamen regionum & conſuetudinũ, nec uni quidem Annali libro pictaram inſeruit; ſed ſcriptô, penitùs à cæteris abſciſsô, tradidit: credo, quò liberiùs tranquilliúsq;, cæterarum rerum velut turbîs exſolutus, illi poſtea ſoli curæ ſeſe totum impénderet. At mihi, nec Criſpi Salluſtii brevitatem in Africa ſuâ, nec Taciti mentem & inſtitutum in *Germania moribus*, amplecti cogitanti; mediâ quadam, brevitatẽ inter, ac prolixitatem, viâ gradi placet: eóq; ſtyli temperamento, proſequi *Palæſtinam*; ut, prætermiſsîs gentium illarum *inſtitutîs*, regiones, ac *loca*, nec Omnia conſecter, nec Omnia prętercam. Quorum poſterius, mihi non permittit, ipſa, quam dixi, rerũ neceſſitas, hiſtoriæq; lux: alterum autem, nemo, niſi delirus, à me requirat; poſt Strabonem præſertim, exactè *pleraq;*, póſtq; Chriſtianum Adrichomium, *univerſa* ſingillatim, deſcriptione complexum.

Satis igitur ſuperq; nobis fuerit; regionum, urbiúmque nominatiorum,ſuperficiem percurſantibus: lineas potiùs, quàm tabulas imaginéſque plenas, exſequi. Cùm præterea vulgò, *quiſquis bene diſtinguit, bene quoque docere*, cenſeatur: omnium primò Chanaanitidis *univerſalem* quandam diſponendam mihi *Topotheſiam* eſſe, conſultum duxi; finibus illîs, ac regnîs, & populîs, qui paſſim ad omnia latera Chanaanitidem circumſtant, per circuitum appoſitîs: ut indè, non modò, quàm latè Saules, ac David, dominati; ſed etiam quàm diffusè, vicinorum armîs infeſtati fuiſſent, eluceret. Quoniam verò *Tribuum* quoque, Sacris in Codicibus, aſſidua nobis memoria recurrit: nec univerſis ſtatim æquè compertum erat, quam unaquæque *Tribus*, Palæſtinæ partem, è *funiculo* deſignationéque Dei, per Joſuam, inſediſſet: etiam huic caligini rudiorum, accendendam eſſe qualemqualem lampadem, operæ pretium exiſtimavi: ſingularum *Tribuum*, non *omnibus* (quis enim id Stoicus, in hac Inſtituti noſtri Summâ, compendióque, poſtularet?) ſed, *conſideratione dignioribus*, oppidîs, urbibus, ac montibus, amnibúsq;, ſtrictim inſertîs. Quæ prætermiſſa ſunt: ex

univerſali, quam diximus, expoſitione Chanaanitidis, ut peti poſſent; in promptu propatulóque poſuimus. Cùm autem hæc omnia (velut in ſuperioribus meminimus) abhinc bienniô, ſic non modò deſcripſiſſemus, ſed etiam, In *Regiones* hinc; illinc autem, In *Tribus*, diviſiſſemus: videri cujpiam potuimus; rem novam, & exoticam feciſſe: quin & ſuperfluam, pænéque Battologicam: ut qui, percenſione *Tribuum*, aſſiduò repetere loca nonnulla, vel urbes, compelleremur; quæ tamen in *Oecumenicam* jam illam, ac nempe priorem, Conſignationem præintrâſſent. Sed hi videlicet tales, primò quidem non vident; In priore, nec quæſitum aliud, nec propoſitum fuiſſe nobis: quàm, ut oſtenderemus Regni Chanaanitidis, quale quantúmque Saulis ac Davidis temporibus extitit, amplitudinem, atque ſpatia. Deinde, non aliter, ſinè lectoris confuſione, Judææ, Samariæ, Galilæarum, Philiſthæorum, ac cætera Regna, proponi poſſe; niſi pariter, nominatîs, ubi res fert, memorabilioribus eorum urbibus, fluviis, atq; locîs. In poſteriore verò, quæ *Tribuum* eſt, enarratione; liquidiùs haud poſſe Regni Davididarum, ſub Roboamo, ſciſſuram Immi-

nutionémque, ſub oculos conſtitui: niſi *Tribuum-Duodecim* (quarum, non plures duabus, Davidicæ domûs in obſequio manſerunt) diſtinctô numerô, ſeriéque, tanquam in apricum productâ; velutíque per campos ſuos ac montes expansâ. Sic, ad unum Oculi nictum, patet: quantillum Roboamus, ac poſteri, retinuerint: quantum, exadverſum, amiſerint. Verùm, utcunque conſilium hoc noſtrum accipiatur: gaviſus ſum poſteà, meum Solius id non eſſe; ſed & alios idem mecum, me penitùs ignorante, vidiſſe. Cùm enim hanc ipſam, cui prælóquor, *Topotheſiam*, jamjam prælo, formíſque typicis, adornarem: hujus ipſius anni Januariô (qui milleſimus, ſexcenteſimus, quinquageſimus nonus, à Chriſto nato, currit) ecce, munere V. Clariſſimi, *Nicolai Rittershuſii*, Tractatum accipio Chorographicum nonnullarum Aſiæ Provinciarum, auctore Viro, pariter Clariſſimo, *Bartholdo Nihuſio* (nobis jam ante ſeptennium, tempore Comitiorum Imperialium, Ratisbonæ noſci cœptô) nuperrimè juris publici factum. Eum ego cùm ſinè mora perlegiſſem: libenter, præter alia non pauca, pereruditè paſſim diſſertata; *capite Quinto*, quod eſt, *De Palæſti-*

na, vidi, non ferè diverſam à me deſcribendi viam ingreſſum. Poſtquam enim de Palæſtina, ſeu Terrâ Sanctâ, paginîs tribus *generatim* eſſet locutus: & Chananæam, in Regiones ac regna ſua; montes item, lacus, ac fluvios, partitus: paragraphô deinceps octavô, prorſus unius mecum, in hoc, mentis & conſilii; *Palæſtinæ Diviſionem* (inquit) *aliam, in Duodecim Tribus Iſraëlis, eſſe. quam ſe*, dicit, *excuſſurum*. quod & deinde præſtat, *Singulas* per ſeriem obeundo *Tribus*: & ab Asere, quæ, cum Nephthalæa, prima Tribuum ſeſe, Septentrionem versùs, offert; excutiendi principiũ ſumendo. Sed vix intereſt: ab *Aſeréne* quis, & *Aquilonum* plagîs; an, ab *Juda*, Simeonéve, quæ Tribus duæ proximè *meridiem* adjacent, locorũ poſituras, & enumerationem, ordiatur: cùm & Sol ipſe, ſuîs in *Solſtitiis*, haud minùs ordinatè curſus ſuos à *Tropico Capricorni* (qui Meridiei magìs objacet) quàm à cingulo *Cancri*, quod ad Boream recedit, ſtatîs anni menſibus inchoët. Et alioquin; ne ſemper idem ſcribendi narrandíq; tenor lectorem delaſſet; progrediendi *Varietas*, etiam hîc, *oblectationi* ſervire poſſit. Niſi fortè (quod Adrichomio, juſtas ob cauſſas, placuit) à principio ſtatim propoſitũ deſcriptori ſit; in

Caput I,

enumerandis Tribubus, *Elementorum* potiùs *litterariorum*, quàm naturalis locorum ſitûs, ordinem ſeriémque ſequi. Quod noſtri tamen, nec inſtituti fuit unquam; neque conſilii. Quod porrò doctiſſimus etiam *Nihuſius*, quem ſuprà laudavi, poſt Pomponium Melam, vidit; ingenuéque præ ſe tulit: & ipſa tractandæ *Topotheſiæ* ratio ſecum affert; *Impeditum id genus operis, & facundiæ minimè capax*, eſſe (*A*): confiteri cogor, & ego; rerum experimentô doctus: juxtáque mecum, nimiô plus delicatus, lector experietur. Difficilis eſt, etiam in *terra Promiſſionis*, olim licèt cultiſſimâ, ſtyli diſerti cultura, loca regnáque deſcripturo: nec, ut in humo, lacte melléque fluidâ, tantum amœnitati deliciíſque ſermonis; quantum labori, ſterilitatíque profluentis eloquentiæ, loci relinquitur. Putes; non unam Chanaanitidis particulam, ſed ipſam totam quantam, eſſe *Trachonitidem*: hoc eſt, aſperam, ſaxoſam, ſalebroſam, conciſam. denique, propter *locorum* (unde *Topotheſiam* quoque nominare placuit) conglobata nomina, laciniam veriùs, quàm textum, ac telam ornatam, in hac aſpicias. Ad ſummam: Plus, in hujus generis Opuſculis, operis ac ſudoris; quàm gratiâ-

rum, ac voluptatis, eſt: plus utilitatis denique, quàm ſplendoris; nec ad *aures* talia, ſed ad *mentem* cognitionémque, ſunt. Id quod & in Strabone ſæpius, & in Marianæ rerum Hiſpanicarum initiis, quin & in libro Joſuæ, poſt Duodecimum caput, ad uſque Viceſimum Secundum, experiaris. Quare, vel prætereunda talia penitùs; vel, ſi pellegantur, devoranda, ſuîs cum faſtidiis, erunt. Ideò ſeorſum quoque libellum hunc ſtatuimus; ut ad lectoris arbitrium, ſalvo cætero Decadum corpore, ſtaret: tanquam, extra bellicas acies, ad incerta ſubſidiorum, & caſuum, miles honorarius. UT autem univerſa *Chanaanitis* hæc noſtra, non *planior* modò, ſed *conſpectior* quoque, foret: *tabellas* apponere *Chorographicas*, placuit: alteram quidem *Regnorum*, ac Regionum; *Tribuum*, alteram. Et illam quidem, jam antehac, id eſt, ante ſeptemdecim plus minùs annos, inter cæteras tunc exercitationes meas Geographicas, ad Graduum quoque rationes ac dimenſiones, expreſſeram: manu quidem *calamóque meô*, ſed *auctoritate priorum*, & in ea ſcientia peritiſſimorum; Stellæ Sigenatis, Ortelii, cæterorúmque. Sed ità tamen in eo laboraveram; ut aliquid ſubinde,

tametſi

Caput I.

tametſi deſiderarem, temerè nihilominus mutandum, haud exiſtimarem; quòd pro comperto crederem, &, *In Sua cujque credendum arte* potiùs eſſe, quàm cavillandum: & Neminem facilè, qui famæ Veritatique ſerviat, ſinè certis ſibi rationibus, aliquid adſtruere. Si quid igitur (ut facilè fiet) alicuj, vel hîc, vel illic, improbatum fuerit: id non modò tabellarum contractiſſimo ſpatio (quod, omnia poni, non permittit) ſed Geographorum etiam, fluctuanti, ſuas per opiniones ac ſententias, diverſitati, tribuendum putet. Cùm autem complures, Sacrorum præſertim voluminum ſtudioſi, Sacerdotéſque, *Palæſtinæ Breviarium* Opticum, etiam ſecundùm TRIBUS Iſraëlis Duodecim, quod manu teneri, quódq; circumferri, vel Biblicis inſeri libris poſſet, efflagitarent: his ipſis, quibus hæc edebam, diebus, etiam TRIBUUM Tabellam, feſtinante quidem pennâ, ſed præmeditatîs tamen curîs, elaboravi: chalcographóque, quantacunque fide per abſentiam Auctoris poſſet, exprimendam ſcalprô, tranſmiſi. Deductæ ſunt autem plerumq; Tribuum regiones, Sortiumque *funes*, ad uſque *Mediterranei maris* littus: non, quòd ea loca, vel ſemper,

vel omnia, poſſederint Iſraëlitæ: ſed, quòd eorum nonnulla quandoque Reges Hebræorum aliqui, bellô ſubacta, ſui juris effecerint; &, quæ ſub jugum non miſêre, ſic tamen cominus aſpexerint: ut, licèt *In Re* fortaſſe *jus* perpetuò non haberent, *Ad rem* tamen, habere ſe ſcirent; quippe, quibus dictum jam olim ſit: *Omnis locus* (Promiſſæ terræ) *quem calcaverit pes veſter, veſter erit. A deſerto* Pharánis, *à monte Libano, necnon ab Euphrate, magno flumine, termini* gentis *Iſraëlitarum erunt, ad Occiduum uſque mare.* (*b*) Non fuerunt autem! Quid hoc ad Promiſſorem Deum? Conceſſionis, ac liberalitatis Divinæ fuit; Hæreditatem offerre, donare, propriam eis facere: Torporis autem humani; nec adire datam, nec in ea *pedem ponere* (*c*) calcatorem. Nos ergo *Tribuum* illarum *funiculos* ad Occidentem extendimus, euſque, quò *Jus* eorum ambulavit; *Juris* autem *uſus*, ire detrectavit. Jam autem deſcriptionem ipſam, rejectîs tricîs, aggrediamur.

AUCTORES.

(A) *In Tractatu Chorographico, paginâ 3.* (b) *Deuteron. XI. v. 24.* (c) *Hoc eſt*, Poſſidere. *Poſſeſſio enim dicitur, quaſi Pedis, aut Pedum- Poſitio. l. 1. in princ. de acquir. poſſ.*

CAPUT II.

Quô

PALÆSTINA

Generatim, ac ſecundùm Regiones, atque Regna, percurritur.

PALAESTINAE FINES, LIMITES, SPATIUM.

TERRARUM igitur illa Regio, quæ CHANAANITIS, quondam, ex incola Chanaano, poſteríſque Chananæis: è Philiſthæis, PALÆSTINA; poſtmodum etiam TERRA-PROMISSIONIS, dici cœpit:

image
not
available

cœpit; Hebraicâ loquendi conſuetudine, ſic paullatim, apud pleroſque Sacrorum tracta-tores, appellationis hujus poſſeſſionem ſibi ſtabilivit: ut id nominis, quaſi propriam quandam ſui notam, invaderet, atque reti-neret. Id accidit ex eo; quòd à Deo *Patri-archis* illis tribus, primis Iſraëlitarum proge-nitoribus, Promissa; poſtea, quaſi *pollicita-tionis* cujusdam, & ideò *Debiti*, jure, poſteris eorum obvenerit. Ea Regio, Syriam, tum à Septentrionibus; tum, ab æſtivo Solis ortu, vicinam aſpicit. Quocirca, tantò libentiùs, & ipſa *Syriæ Provinciis* adſcripta, multò pòſt, ab Romanis, illius ſubjugatoribus, eíque contributa, fuit. Hæc, ſi *Libani* quoq; mon-tis tractum, & *Idumæam* (uti par eſt) ei ſo-ciemus: (*A*): ab gradu cœli trigeſimo pri-mo propemodum, ultra quartum ac trigeſi-mum, à *Meridiana* plaga porrigitur in *Se-ptentriones*. Et includitur, illinc quidem, ſolitudine, quam *Pharanæi* montes efficiunt; ac prævallatur Ægypti principiis: hinc au-tem, id eſt, ad Boream, & Aquilones, regio-ne *Chalcidis* (quæ Libani montis radicibus ulterioribus adjacet); ac parte Syriæ Dama-ſcenæ, finitur. Ab Occidente verò Sole, *ma-ri*, quod Sacræ litteræ *Magnum*, ad diſcrimen

Maris

Caput II.

Maris *Galilæi, Mortuíque*, nominant; nos autem *Mediterraneum*, Phœnicium, ac Cyprium, appellamus, vallatur. Ab Ortu denique Solis, partim Cœle-Syriæ procurſu; partim Arabiæ tripertitæ montibus, urgetur. Chanaanitidis porrò *Longitudo*, quæ ſecundùm maris magni littus *obliquô* flexu procurrit à Syriæ finibus, ad lacum uſq; Sirboníten, Ægypto propinquum: è Tilemanni Stellæ, Gerardíque Mercatoris, ſolertî deſcriptione, ſpatiîs extenditur, ultra vulgi fidem & opinionem, ingentibus. At verò *contractior* aliquantô CHANAANITIDIS ea regio, quæ, tam nunc, quàm olim, TERRÆ SANCTÆ titulô gaudebat; à *Paneáde*, ſeu Cæſarea Philippi, *Berſabéam* uſque (locum, & urbem, deſerto Pharanis oppoſitam) *longitudinis* ſpatium *Sexaginta ſeptem* ferè *leucarum* explet: quarum viæ menſurarum, ſingulæ cenſentur *unius horarii* temporis ſolidô decurſu. *Latitudo* verò, multîs in locis inæqualis: à mediterranei maris littoribus, ad plagam Orientis, ac Jordanis citeriores ripas; alibi quidem *ſexdecim*, alibi verò, quà vel maximè diffunditur, *leucarum octodecim*, amplitudinem obtinet. Cujus tamen *Latitudinis* ſpatium, haud paullò majus eſt: ſi, quem-

quemadmodum debet, Jordane ſuperatô, *transamnanam* quoque regionem, ad Ortum Solis, quouſque poſſeſſa quondam ab Hebræis erat, complectatur. Nam pòſt, irâ Numinis infuſi terris illis; barbari, *profanam* fecêre coloniîs ſuis, ac moribus, Regionem; quæ *Sanctorum* priùs, ac SANCTA, fuerat.

PALÆSTINÆ
Torrentes, Amnes, Rivi, Lacúsque, nominatiores.

CÆterùm *Aquîs*, utcunque frequentibus, *Chanaanítis* terra perluitur. Sed primùm quidem, admodum inæqualiter; quippe; *Galilæarum* utrâque paſſim *fontibus*, aut *rivîs*, undoſiore: cùm *Samaria* tamen, ac *Judæa*, ferè *ciſternîs*, & exceptîs cœlô liquoribus, vivere cogantur. Deinde, quibus terris undas natura, vel naturæ conditor, indulſerunt; eæ plerumque, *torrentes* tantummodo, temporariæque, ſunt. quod aquarum genus, de montibus hinc indè decurrens; colliquefactîs vernô, vel æſtivô, calore, rupium Alpiúmve celſiorum nivibus: aliâs quidem augetur, ac mox tamen decre-

ſcit; interdum autem & in ſiccum redigitur: nudis duntaxat alveorum lapillis & arenis, ad hominum pecorúmque ſitim exercitandam, relictis. Quare, nec adverſus hoſtem, hi tales profluentes, fidi ſatis, ac durabiles ſuis accolis, obices eſſe poſſunt; nec exercituum, in penuria potûs, aviditatem explere: prout anni fert tempus, aut exundantibus alveis, aut exhauſtis. Ii ſunt autem ferè *Torrentes*, in ea Chanaanitide; quæ ventos, Africum, & Auſtrum, excipit. *Flumen* tenue, nullóque præterea nomine proprio; niſi, quòd, ab Ægypti vicino veſtibulo, TORRENS-ÆGYPTI, vulgò dicatur: è deſerti-Pharanæi, quà Septentrionibus objacet, extremis rupibus ebullit; & in mare ſe mediterraneum evolvit. Poſt hunc *Torrentem*, alii plures: ut, *Beſor* (quem & Boſorem quidam appellant) qui ſecùs, *Geraræ* quoque *torrens* dici ſuevit; ab urbe terráque nominis iſtius, quam terram urbémque præterlabitur. Is, è montibus *Sejriis*, qui Judæam & Idumæam interſecant, exoritur: ſicut item *Sorecus* torrens, è montanis Judææ jugis. *Gaas* præter-

uti ſitu loci, ſic & dignitate rerum illic geſtarum, ab Auſtro tendentibus in Aquilones, *prior* occurrit: *Torrens* quidam alius, Philiſtinorum per terras fluens; & in *mare* ſe *magnum* exonerans. Hic, è *Judaea*, quæ dicuntur, *Montanis* ſcaturiens, flexu multiplici, tum alia *Danitarum* nominatiora loca, tum *Vallem* quoque *Terebinthi* Judaicam, lambit, ac perluit, cujus etiã ex alveo *quinq; lapides illos*, quibus *Goliathum* gigantem proſtravit, adoleſcens *David* delegit: & ex *aqua*, belli petivit arma, quæ de *ferrariis* alii petiſſent officinis. (*b*) Omnes igitur hi, quos nominavi, *profluentes*, in mare, quod inter Europam Aſiámque minorem, & Africam, fluit, egeruntur. A *Septentrionibus* autem, è radicibus *Libani* montis, quà Syriam is à dorſo ſpectat, *Rivus* ille, ſacris voluminibus haud incelebris, ſcaturit: qui *Fontis-Hortorum* nomine circumfertur; propterea, quòd aquîs ſuis frigidîs atque dulcibus, quidquid, Libanum inter ac Tripolim, pomariorum eſt, riget & opimet. Idem quoque, tum in alios alibi minores, tum potiſſimùm *tres* in rivos *grandiores*, ſe ſcindens; cùm, impetu cæteroquin ingenti quondam (*c*) erumperet è ſcatebra primâ, móxq; concurſu rivulo-

rum complurium oppidò creſceret: *ſenis* tamen *diebus* evaneſcens, *ſeptimâ* quáque tandem luce, quæ *Sabbatum* Hebræis eſt, ſuis reſtitutus undis, ac curſui; pleniſſimô, ſicut antè ſueverat, alveô provolvebatur. Quare *Sabbatici fluminis* nomen, apud gentem *Sabbatariorum*, invénit. Sed hic quidem fluvius, quantô longiùs procedit, tantô magìs Libanum, ac Terram Chanaanitida, quaſi fugit: in Syriam, ejúsque mare, deflectens. At ex ejusdem Libani radicibus citimis, è diverſo, prolapſus amnis *Eleutherus* (quaſi *Liberum Ingenuúmque* diceres) aliâ penitùs fluendi viam ingreſſus; per *Aſeraæ Tribûs* partem magnam, pérque *Phœniciæ* principia, curſu prorſus obliquatô, Zephyrónotum versùs: inter *Antilibanum* tandem, Montésque, Tyrum Antiquam ſpectantes, in mare Phœnicium elabitur. Celebris hic, utcunque, terris ſuis, eſt amnis. At, ab *Ortu* Solis, *Torrentes*, amnésque, longè ſuperioribus celebriores, per Tranſamnanam potiſſimùm, incedunt. *Hjerómace*; de quo torrente dictum ſuperiùs eſt; cùm Saulis, adversùs Ammo-

Angelo luctâ, ſuorúmque providô trajectu, nobiliorem fecit. Horum torrentium uterque, Galaaditicorum è montium jugis enaſcitur. Poſt hos (ut obſcuriores prætercam) ARNON, torrens, ingenti riparum, ad quas alliditur, pulſu; largîs aquîs: nullíque præcedentium, ſuî famâ, ſecundus. Hic, de cognomine ſibi petrâ proſiliens, lacum, haud procul origine ſuî, molítur; & aquîs tam uberibus implet: ut eum, propter amplitudinem, Hebraica loquendi conſuetudo, MARE, cognomentô *Jázerûs*, dignata ſit. Fluvius ipſe, ſtagnum hoc eluctatus; poſt varios, ac prolixos, aquarum flexus, in *Lacûs* tandem *Aſphaltítæ* gremium ſeſe deponit. Eundem autem hunc Lacum, & ZAREDUS, torrens alius, ab eâdem Orientis plagâ decurrens; mediô ferè littoris Aſphaltitici tractu, ſubit. Et hi quidem, ad *Solis ortum* pertinentes, *Terræ Sanctæ* fluvii, rivíque, ſunt. Ad *Occaſum* autem, nec pauciores ſunt, nec ignobiliores (utì terrarum illarum captus eſt) amnes. JEPHTAEL, per ſui nominis *Vallem*, è monte Phœniciæ denatans: ac præter *Canam* illam labens; quam *Servator* poſtea noſter, è fontana creatô vinô, celebrem effecit. Torrens alius, nomine magìs, quàm

enumerandis Tribubus, *Elementorum* potiùs *litterariorum*, quàm naturalis locorum ſitûs, ordinem ſeriémque ſequi. Quod noſtri tamen, nec inſtituti fuit unquam; neque conſilii. Quod porrò doctiſſimus etiam *Nihuſius*, quem ſuprà laudavi, poſt Pomponium Melam, vidit; ingenuéque præ ſe tulit: & ipſa tractandæ *Topotheſiæ* ratio ſecum affert; *Impeditum id genus operis, & facundiæ minimè capax*, eſſe (*A*): confiteri cogor, & ego; rerum experimentô doctus: juxtáque mecum, nimiô plus delicatus, lector experietur. Difficilis eſt, etiam in *terra Promiſſionis*, olim licèt cultiſſimâ, ſtyli diſerti cultura, loca regnáque deſcripturo: nec, ut in humo, lacte melléque fluidâ, tantum amœnitati deliciíſque ſermonis; quantum labori, ſterilitatíque profluentis eloquentiæ, loci relinquitur. Putes; non unam Chanaanitidis particulam, ſed ipſam totam quantam, eſſe *Trachonitidem*: hoc eſt, aſperam, ſaxoſam, ſalebroſam, conciſam. denique, propter *locorum* (unde *Topotheſiam* quoque nominare pla-

rum, ac voluptatis, eſt: plus utilitatis denique, quàm ſplendoris; nec ad *aures* talia, ſed ad *mentem* cognitionémque, ſunt. Id quod & in Strabone ſæpius, & in Marianæ rerum Hiſpanicarum initiis, quin & in libro Joſuæ, poſt Duodecimum caput, ad uſque Viceſimum Secundum, experiaris. Quare, vel prætereunda talia penitùs; vel, ſi pellegantur, devoranda, ſuîs cum faſtidiis, erunt. Ideò ſeorſum quoque libellum hunc ſtatuimus; ut ad lectoris arbitrium, ſalvo cætero Decadum corpore, ſtaret: tanquam, extra bellicas acies, ad incerta ſubſidiorum, & caſuum, miles honorarius. UT autem univerſa *Chanaanitis* hæc noſtra, non *planior* modò, ſed *conſpectior* quoque, foret: *tabellas* apponere *Chorographicas*, placuit: alteram quidem *Regnorum*, ac Regionum; *Tribuum*, alteram. Et illam quidem, jam antehac, id eſt, ante ſeptemdecim plus minùs annos, inter cæteras tunc exercitationes meas Geographicas, ad Graduum quoque rationes ac dimenſiones, expreſſeram: manu quidem *calamóque meô*, ſed *auctoritate priorum*, & in ea ſcientia peritiſſimorum; Stellæ Sigenatis, Ortelii, cæterorúmque. Sed ità tamen in eo laboraveram; ut aliquid ſubinde,

tametſi deſiderarem, temerè nihilominus mutandum, haud exiſtimarem; quòd pro comperto crederem, &, *In Sua cuique credendum arte* potiùs eſſe, quàm cavillandum: & Neminem facilè, qui famæ Veritatíque ſerviat, ſinè certis ſibi rationibus, aliquid adſtruere. Si quid igitur (ut facilè fiet) alicuj, vel hîc, vel illic, improbatum fuerit: id non modò tabellarum contractiſſimo ſpatio (quod, omnia poni, non permittit) ſed Geographorum etiam, fluctuanti, ſuas per opiniones ac ſententias, diverſitati, tribuendum putet. Cùm autem complures, Sacrorum præſertim voluminum ſtudioſi, Sacerdotésque, *Palæſtinæ Breviarium* Opticum, etiam ſecundùm TRIBUS Iſraëlis Duodecim, quod manu teneri, quódq; circumferri, vel Biblicis inſeri libris poſſet, efflagitarent: his ipſis, quibus hæc edebam, diebus, etiam TRIBUUM Tabellam, feſtinante quidem pennâ, ſed præmeditatîs tamen curîs, elaboravi: chalcographóque, quantacunque fide per abſentiam Auctoris poſſet, exprimendam ſcalprô, tranſmiſi. Dedu-

vel omnia, poſſederint Iſraëlitæ: ſed, quòd eorum nonnulla quandoque Reges Hebræorum aliqui, bellô ſubacta, ſui juris effecerint; &, quæ ſub jugum non miſêre, ſic tamen cominus aſpexerint: ut, licèt *In Re* fortaſſe *jus* perpetuò non haberent, *Ad rem* tamen, habere ſe ſcirent; quippe, quibus dictum jam olim ſit: *Omnis locus* (Promiſſæ terræ) *quem calcaverit pes veſter, veſter erit. A deſerto* Pharánis, *à monte Libano, necnon ab Euphrate, magno flumine, termini* gentis *Iſraëlitarum erunt, ad Occiduum uſque mare.* (*b*) Non fuerunt autem! Quid hoc ad Promiſſorem Deum? Conceſſionis, ac liberalitatis Divinæ fuit; Hæreditatem offerre, donare, propriam eis facere: Torporis autem humani; nec adire datam, nec in ea *pedem ponere* (*c*) calcatorem. Nos ergo *Tribuum* illarum *funiculos* ad Occidentem extendimus, eouſque, quò *Jus* eorum ambulavit; *Juris* autem *uſus*, ire detrectavit. Jam autem deſcriptionem ipſam, rejectîs tricîs, aggrediamur.

AVCTORES.

(A) *In Tractatu Chorographico. paginâ 3.* (b) *Deuteron. XI. v. 24.* (c) *Hoc eſt*, Poſſidere. *Poſſeſſio enim dicitur, quaſi Pedis, aut Pedum-Poſitio. l. 1. in princ. de acquir. poſ.*

CAPUT II.

Quô

PALÆSTINA

Generatim, ac ſecundùm Regiones, atque Regna, percurritur.

PALAESTINAE FINES, LIMITES, SPATIUM.

TERRARUM igitur illa Regio, quæ CHANAANITIS, quondam, ex incola Chanaano, poſteriſque Chananæis: è Philiſthæis, PALÆSTINA; poſtmodum etiam TERRA-PROMISSIONIS, dici cœpit:

TORES.

tu Chorographico, paginâ 3. *v. 24.* (c) *Hoc eſt*, Poſſide- *licitur, quaſi Pedis, aut Pe-* *in princ. de acquir. poſſ.*

PUT II.

Quô

ESTINA

ſecundùm Regiones, gna, percurritur.

ESTINAE LIMITES, ATIUM.

igitur illa Regio, quæ ITIS, quondam, ex in- ano, poſteriſque Chana- , PALÆSTINA; poſtmo- PROMISSIONIS, dici cœpit:

image
not
available

cœpit; Hebraicâ loquendi conſuetudine, ſic paullatim, apud pleroſque Sacrorum tractatores, appellationis hujus poſſeſſionem ſibi ſtabilivit: ut id nominis, quaſi propriam quandam ſui notam, invaderet, atque retineret. Id accidit ex eo; quòd à Deo *Patriarchis* illis tribus, primis Iſraëlitarum progenitoribus, Promissa; poſtea, quaſi *pollicitationis* cujusdam, & ideò *Debiti*, jure, poſteris eorum obvenerit. Ea Regio, Syriam, tum à Septentrionibus; tum, ab æſtivo Solis ortu, vicinam aſpicit. Quocirca, tantò libentiùs, & ipſa *Syriæ Provinciis* adſcripta, multò pòſt, ab Romanis, illius ſubjugatoribus, eíque contributa, fuit. Hæc, ſi *Libani* quoq; montis tractum, & *Idumaam* (utì par eſt) ei ſociemus: (*A*): ab gradu cœli trigeſimo primo propemodum, ultra quartum ac trigeſimum, à *Meridiana* plaga porrigitur in *Septentriones*. Et includitur, illinc quidem, ſolitudine, quam *Pharanæi* montes efficiunt; ac prævallatur Ægypti principiîs: hinc autem, id eſt, ad Boream, & Aquilones, regione *Chalcidis* (quæ Libani montis radicibus ulterioribus adjacet); ac parte Syriæ Damaſcenæ, finitur. Ab Occidente verò Sole, *mari*, quod Sacræ litteræ *Magnum*, ad diſcrimen

Maris

Maris *Galilæi, Mortuíque*, nominant; nos autem *Mediterraneum*, Phœnicium, ac Cyprium, appellamus, vallatur. Ab Ortu denique Solis, partim Cœle-Syriæ procurſu; partim Arabiæ tripertitæ montibus, urgetur. Chanaanitidis porrò *Longitudo*, quæ ſecundùm maris magni littus *obliquô* flexu procurrit à Syriæ finibus, ad lacum uſq; Sirboníten, Ægypto propinquum: è Tilemanni Stellæ, Gerardíque Mercatoris, ſolertî deſcriptione, ſpatiîs extenditur, ultra vulgi fidem & opinionem, ingentibus. At verò *contractior* aliquantô CHANAANITIDIS ea regio, quæ, tam nunc, quàm olim, TERRÆ SANCTÆ titulô gaudebat; à *Paneade*, ſeu Cæſarea Philippi, *Berſabéam* uſque (locum, & urbem, deſerto Pharanis oppoſitam) *longitudinis* ſpatium *Sexaginta ſeptem* ferè *leucarum* explet: quarum viæ menſurarum, ſingulæ cenſentur *unius horarii* temporis ſolidô decurſu. *Latitudo* verò, multîs in locis inæqualis: à mediterranei maris littoribus, ad plagam Orientis, ac Jordanis citeriores ripas; alibi quidem *ſexdecim*, alibi verò, quà vel maximè diffunditur, *leucarum octodecim*, amplitudinem obtinet. Cujus tamen *Latitudinis* ſpatium, haud paullò majus eſt: ſi, quem-

quemadmodum debet, Jordane ſuperatô, *transamnanam* quoque regionem, ad Ortum Solis, quouſque poſſeſſa quondam ab Hebræis erat, complectatur. Nam pòſt, irâ Numinis infuſi terris illis; barbari, *profanam* fecêre coloniîs ſuis, ac moribus, Regionem, quæ *Sanctorum* priùs, ac SANCTA, fuerat.

PALÆSTINÆ

Torrentes, Amnes, Rivi, Lacúsque, nominatiores.

CÆterùm *Aquis*, utcunque frequentibus, *Chanaanitis* terra perluitur. Sed primùm quidem, admodum inæqualiter; quippe, *Galilaarum* utrâque paſſim *fontibus*, aut *rivis*, undoſiore: cùm *Samaria* tamen, ac *Judaa*, ferè *ciſternîs*, & exceptîs cœlô liquoribus, vivere cogantur. Deinde, quibus terris undas natura, vel naturæ conditor, indulſerunt; eæ plerumque, *torrentes* tantummodo, temporariæque, ſunt. quod aquarum genus, de montibus hinc indè decurrens; colliquefactîs vernô, vel æſtivô, calore, rupium Alpiúmve celſiorum nivibus: aliâs quidem augetur, ac mox tamen decre-

ſcit; interdum autem & in ſiccum redigitur: nudîs duntaxat alveorum lapillis & arenis, ad hominum pecorúmque ſitim exercitandam, relictîs. Quare, nec adverſùs hoſtem, hi tales profluentes, fidi ſatìs, ac durabiles ſuîs accolis, obices eſſe poſſunt; nec exercituum, in penuria potûs, aviditatem explere: prout anni fert tempus, aut exundantibus alveîs, aut exhauſtîs. Ii ſunt autem ferè *Torrentes*, in ea Chanaanitide; quæ ventos, Africum, & Auſtrum, excipit. *Flumen* tenue, nullóque præterea nomine proprio; niſi, quòd, ab Ægypti vicino veſtibulo, TORRENS-ÆGYPTI, vulgò dicatur: è deſerti-Pharanæi, quà Septentrionibus objacet, extremis rupibus ebullit; & in mare ſe mediterraneum evolvit. Poſt hunc *Torrentem*, alii plures: ut, *Beſor* (quem & Boſorem quidam appellant) qui ſecùs, *Geraræ* quoque *torrens* dici ſuevit; ab urbe terráque nominis iſtius, quam terram urbémque præterlabitur. Is, è montibus *Sejriis*, qui Judæam & Idumæam interſecant, exoritur: ſicut item *Sorécus* torrens, è montanis Judææ jugîs. *Gaas* præterea; nomen ex eo Samariticæ ditionis monte trahens, ex quo ſuas etiam undas haurit. Quô, diffuſior aliquantô, ſpatioſiórque; ſic-

uti ſitu loci, ſic & dignitate rerum illic geſtarum, ab Auſtro tendentibus in Aquilones, *prior* occurrit: *Torrens* quidam alius, Philiſtinorum per terras fluens; & in *mare* ſe *magnum* exonerans. Hic, è *Judaa*, quæ dicuntur, *Montanis* ſcaturiens, flexu multiplici, tum alia *Danitarum* nominatiora loca, tum *Vallem* quoque *Terebinthi* Judaicam, lambit, ac perluit, cujus etiã ex alveo *quinq; lapides illos*, quibus *Goliathum* gigantem proſtravit, adoleſcens *David* delegit: & ex *aqua*, belli petivit arma, quæ de *ferrariis* alii petîſſent officinis. (*b*) Omnes igitur hi, quos nominavi, *profluentes*, in mare, quod inter Europam Aſiámque minorem, & Africam, fluit, egeruntur. A *Septentrionibus* autem, è radicibus *Libani* montis, quà Syriam is à dorſo ſpectat, *Rivus* ille, ſacris voluminibus haud incelebris, ſcaturit: qui *Fontis-Hortorum* nomine circumfertur; propterea, quòd aquîs ſuis frigidîs atque dulcibus, quidquid, Libanum inter ac Tripolim, pomariorum eſt, riget & opimet. Idem quoque, tum in alios alibi minores, tum potiſſimùm *tres* in rivos *grandiores*, ſe ſcindens; cùm, impetu cæteroquin ingenti quondam (*c*) erumperet è ſcatebra primâ, móxq; concurſu rivulo-

rum complurium oppidò creſceret; *ſenis* tamen *diebus* evaneſcens, *ſeptimâ* quáque tandem luce, quæ *Sabbatum* Hebræis eſt, ſuis reſtitutus undis, ac curſui; pleniſſimô, ſicut antè ſueverat, alveô provolvebatur. Quare *Sabbatici fluminis* nomen, apud gentem *Sabbatariorum*, invénit. Sed hic quidem fluvius, quantô longiùs procedit, tantô magis Libanum, ac Terram Chanaanitida, quaſi fugit; in Syriam, ejúsque mare, deflectens. At ex ejusdem Libani radicibus citimis, è diverſo, prolapſus amnis *Eleutherus* (quaſi *Liberum Ingenuúmque* diceres) aliâ penitùs fluendi viam ingreſſus; per *Aſeræa Tribûs* partem magnam, pérque *Phœnicia* principia, curſu prorſus obliquatô, Zephyrónotum versùs: inter *Antilibanum* tandem, Montésque, Tyrum Antiquam ſpectantes, in mare Phœnicium elabitur. Celebris hic, utcunque, terris ſuis, eſt amnis. At, ab *Ortu* Solis, *Torrentes*, amnésque, longè ſuperioribus celebriores, per Tranſamnanam potiſſimùm, incedunt. *Hjerómace*; de quo torrente dictum ſuperiùs eſt; cùm Saulis, adversùs Ammonitas, caſtra præliúmque referremus. *Jabócus* item; quem, ignotiorem priùs, *Jacobus* olim, *patriarches*, illâ memorabili ſuâ cum

Angelo luctâ, ſuorúmque providô trajectu, nobiliorem fecit. Horum torrentium uterque, Galaaditicorum è montium jugis enaſcitur. Poſt hos (ut obſcuriores prætercam) ARNON, torrens, ingenti riparum, ad quas alliditur, pulſu; largis aquis: nulliquc præcedentium, ſuî famâ, ſecundus. Hic, de cognomine ſibi petrâ proſiliens, lacum, haud procul origine ſuî, molítur; & aquîs tam uberibus implet: ut eum, propter amplitudinem, Hebraica loquendi conſuetudo, MARE, cognomentô *Jázerù*, dignata ſit. Fluvius ipſe, ſtagnum hoc eluctatus; poſt varios, ac prolixos, aquarum flexus, in *Lacûs* tandem *Aſphaltítæ* gremium, ſeſe deponit. Eundem autem hunc Lacum, & ZAREDUS, torrens alius, ab eâdem Orientis plagâ decurrens; mediô ferè littoris Aſphaltitici tractu, ſubit. Et hi quidem, ad *Solis ortum* pertinentes, *Terræ Sanctæ* fluvii, rivíque, ſunt. Ad *Occaſum* autem, nec pauciores ſunt, nec ignobiliores (utì terrarum illarum captus eſt) amnes. JEPHTAEL, per ſui nominis *Vallem*, è monte Phœniciæ denatans: ac præter *Canam* illam labens; quam *Servator* poſtea noſter, è fontana creatô vinô, celebrem effecit. Torrens alius, nomine magis, quàm

undîs, deſtitutus; è montibus Ephraimæis, curſu transverſo, ſpatiatur, illô, quem Mageddæum dicunt, campô: donec *Ciſoni* ſe tandem, ac, per hunc, mari magno, confundat. Ipſe quoque CISON, ampliſſimus; ac, ſiquis alius regionum illarum, exceptô *Jordane*, ſpatium ingens percurrens: duo maria, *Galilæum*, ac *Mediterraneum*, influxu ſuo defluxúque, committit; dum, ex illo procurrens, in iſtud tandem irrumpit. Præter hos, alius quoque Rivus, aquarum copiâ, quàm progreſsûs longitudine, major; & ipſe quoque per expertem certi nominis alveum incedens: ab extremo montium Ephraimæorum, quà meridiem hi reſpiciunt, evolvitur. Is denique, priùs, quàm Mare Magnum intret, *Inſulam* etiam, in circuli figuram, efformat; urbis inclytæ capacem: quæ, *Capharſalama* quondam, poſtea nomen eſt *Antipatridis* adepta. Cæterùm *Antipatridos* hanc *Inſulam*, amœnitate geminatâ, *nemus* etiam, arbore multâ fructúque variô lætum, circúmveſtit: ne ſolâ gloriaretur urbe delicatus iſte rivus. At verò *Mediterranea* Terræ-Sacræ plaga, quà latitudine ſuâ propiùs Orientem accedit: præter *Cedrona* torrentem, *Jeroſolymorum* mœnia præterlabentem; to-

ta, quantacunq; de Septentrionibus in Auſtrum procurrit, JORDANE gaudet: amne, *longâ* magìs, quàm ripîs *latè* diſtantibus extensô. Claret is undîs, haud quaquam tam perſpicuîs, ac limpidîs; quàm, per terrarum *Chriſtianum* orbem, famosîs, atque ſanctîs: ob quas eſſe conſuevit in æſtimatione magnâ. FLUVIUS hic (& non tantùm, ut plerique cæteri Chanaanitidis, TORRENS) de gemino bipartiti nominis ſui fonte, ſub ipſis Libani radicibus (ſicut & in *Ruina Pentapoleos* ſubindicatum eſt) enaſcitur, quorum JOR, *Orientem*; DAN, *Occiduum* Solem, habet viciniorem. Proſiliens autem ex his, quas dixi, ſcatebrîs; nec multò pòſt, utriusq; fontis in unum miſto Rivô, conſociatus; in Ortum primò Solis, moderatô transversóq; flexu, molitur curſum: brevíque deinceps terræ decursô ſpatio, *Stagnum* inchoat; quod AQUAS MEROMÆAS appellant. de quibus aliquid, in *Ruina* quoque *Siſaræ*, curarum noſtrarum Alterâ Decade, dictum eſt. Deinde, progreſſus ulteriùs JORDANES, ad Solis *Ortum æquinoctialem*; deflexu repentè deſcensúque factô: totum deinceps, in Auſtrum ſe, quàm longus eſt, confert; nec unquam poſtea cœpti cursûs obfirmatum tenorem im-

mutat. Ac ſenſim, ſub hæc, aquarum influentium conſtanti progreſſu, LACUM, ſive *facit*, ſive *fovet*: nomine quidem vetuſtô, Stagnum GENESARETHÆUM; ſed, placitô poſterorum, ob amplitudinem ſpatiúmque, quo diffunditur, nec non ob regionem, quam paſſim, & inprimis ad Occaſum, alluit, etiam MARE-GALILÆUM, dici ſuetum. Poſt hæc verò JORDANES, per ampliſſimam, amœnitatéque celebratam, progreſſus *Vallem*; quam antiquitus REGIAM appellabant, & ILLUSTREM: in *Lacum* demum *Aſphaltíten* irrumpit (qui Lacus *Tribûs Judææ* finibus ab Oriente præpanditur): quoad, in ipſis Judææ limitibus extremis, in Africum vergentibus, hiatu terræ (quod multi credunt) abſorbeatur. Id, quod, in *Ruina Pentapoleos*, opinor, cum cura, Decade Primâ, traditum; memoriæ fides revolvat. Et hæc quidem, quæ pertinent ad *amnes torrentésque* Chanaanitidis, dicta ſunto: non de cunctis, ſed de paullò *ſpatioſioribus*, ferè, mentione ſuſceptâ. Quid enim ad rem magnopere pertinebat, & *Belum* his, nũc ſtatim, adnecti? qui, paullò ſupra Ptolemaidem, Meridiẽ versùs, è pede montis exſudans; præter exiguam, ſuî mediô, paludem *Cendiviam*, ac

pontē in fine, nihil habet magnopere, quod admireris: niſi fortè vitrū: &, Quidnā in hoc Sanctæ-Terræ fluviolô, nomen ſibi Beli velit; hoc eſt, *Idoli, Dei falſi, Dæmonis* Inferni? *Carithum* verò torrentem, è montibus Ephraimææ Tribûs extremis, Orientem verſùs, per *Arundineti Vallem*, alveô trifidô ſe, nec niſi magnos poſt imbres, agentem: ſtatim *Jordanes* abſorptum, unius ſecum undæ nominiſque facit. Nobilior, illô totô, fuit, riparum illius accola, nutritius Eliæ, Corvus. & hac ipſa tamen *Ave*, (ſi *Carnem* illi, quam apportare ſueverat, ſi *miraculum* apportationis, eriperes) quid, ad memoriam, indignius?

Palæſtinæ Regiones, *Ad* SEPTENTRIONEM.

Jam verò, de Regionibus quoque, *Terræ-Promiſſionis* inſertis, & (ut ità dicam) *innatis*, pauca tradamus.

Et, quoniam *Chanaanitis* univerſa, quæ

Terra-Sanctæ titulô vulgò circumfertur, à Libano monte, Septemtrionibúsque, *longitudine* memorabili, porrigitur, ad *Ægyptium* uſque *Rivum*, Deſertíque Pharanæi principia: ſit enarrationis idem, qui locorum eſt, ordo; ducentibus initia deſcriptionum, ab *Arcticis* (in hoc quidem, hujus duntaxat ſcripti, *Capite*) regionibus: ac finientibus, ad oram *Auſtri*.

Versùs *Carum* igitur ventum, & magis ad Boream, ferè Libanum inter, & Antilibanum, montes, SYROPHOENICIA jacet: ità dicta, quòd, ad Aquilones quidem, *Syriæ* partem aliquam ac fines; ad Auſtrum verò, *Phœniciæ majoris* aliquid, ſtringat, & habeat. *(d)* At verò, cis Libanum, juxtáque Syrophœniciam, aliquantò longiùs in Orientem Solem, EMATHITIS eſt regio ſita; quam & *Amathitidem* aliqui, litterulæ primæ mutatione factâ, nominant. Hæc, obliquô tractu, per campos, quos LIBANI-PLANITIEM vocant, ab Aquilonibus, Occaſum hybernū verſùs, deſcendit. Quam deinceps, per transverſum, in *Orientem hybernum* (interjacente tamen *Paneade* regione) montium-frequens, ITURÆA, ſequitur: partim quidem, Jordanem inter, Eleutherúmque fluvios; quæ, minùs

minùs ſaxoſa, propiùs Phœniciam jacet: partim autem (ſi *Stellæ* Sigenati fides) ultra Jordanem etiam, ſcopuloſiore tractu, valles montéſque ſuos, ad *Damaſci* ferè viciniam, extendit. (*e*) Propiùs verò *Mare Phœnicium*, infrà Libani planitiem, & Eleutherum fluvium; in ipſo montis *Antilibani* conſpectu, terra procumbit: MASPHÆ nomine, ſacris in libris, inſignita. Super *Ituræam* autem *ciſamnanam*, propiùs *Jordanem*, BERIMÆA terra colitur. At, Jordanem transgreſſis, Regiones, Boream verſùs, & partim in *Ortum æſtivum*, vergentes, occurrunt: AURANITIS, MACHATHÆA, TRACHONITIS, & GESSURÆUM olim regnum: cum regni *Baſanæi* nonnullâ portione, cis montem Hermónem, illum; quem, interdum & *Sanirem* appellatum, invenímus. Omnes hæ terræ, ſupra Libanum; pars (utì dictum eſt) in Aquilonem, pars in Ortum Æſtivum, incumbunt. Quas cunctas, ab *interiore* Chanaanitide Jordanes diſcludit. Cæterùm Jordanis ipſius ripam dexteriorem, GALILÆA quidem utraque, ſed inprímis illa, ſpectat: quæ vulgò GENTIUM, ac SUPERIOR, nominatur.

Et hæ quidem *Terræ-Sanctæ* ſunt *Regiones*, in *Septentrionem* recedentes; ac Libani, *Cæ-*

le-Syriaq; montium, oppoſitu, ne longiùs excurrant, inhibitæ, *Deus* illis, ac *natura* genitrix, Alpes illas, &, ut *pedicas*, injecit; ne porrò tenderent: &, ut *muros*, atque cuſtodiam, circumjecit; adverſùm hoſtes.

Palæſtinæ Regiones,

Ad

MERIDIEM.

AT à *Meridie*, penitùs in Auſtrum, ſupra Judæam, montéſque Sejrios; IDUMÆÆ, ſparſum per ſcopulos ac valles, *Regnum* eſt ſitum. Cuj, latus in occiduum, cohæret *Solitudo* BERSABÆA: ſtatímque, trans Béſorem Torrentem, Boream verſùs, GERARÆus tractus; olim, & ipſe *Regnum*: Abimelechô rege celebratum, & Abrahami Sarâ; quæ periculum illic pudoris, niſi per Deum ſtetiſſet, aditura fuerat. *(f)* Cis Idumæos porrò, Sejriósq;, de quibus dictum eſt, montes; infra *Mare Mortuum*, CINÆORUM jacet urbs, & prima colonia: Judææ deſertis, ad Meridiem, plagis incumbens. Mox, infra

Cinæos, in Occiduum magis Solem, regio GOSEMÆA, cum CENÆA ditione: quæ, *Beſoru* torrentis origini viciniores ambæ, quàm *Mari Mortuo*, ſunt. Id *mare* verò, quod, remotum in Solis Ortum, *Terra* quondam PENTAPOLITARUM *fuit*; nunc univerſum, non tam *fluit*, quàm, bituminoſô lentore, *ſtupet*: admiratione, credo, tam inſoliti ſuarum urbium excidii, *ſuſpenſum*, & *hærens*.

Palæſtinæ Regiones, *Ad* OCCIDENTEM.

ORA verò *Terræ-Promiſſionis* Occidua, quæ *Mediterranei Maris* univerſa littoribus adjacet: à Syriæ finibus, ad *Ægypti Rivum* uſque, Regiones habet, urbéſque maritimas inſigniores, has ferè: de Septentrionibus, in Auſtrum eundo. SIDONIORUM inprimis, ac TYRIORUM urbes, & Terras: ſuis utraſque Regibus (ut in Ruina dictum eſt Tyriorum) ad Alexandri Macedonis uſque tempora, gloriatas. Intrà

quas, medió, ſed multó tamen Sidoniis viciniore, tractu, SAREPTA jacebat: urbs quondam, & magnificentiâ ſtructurarum ſuarum (g) priùs, & Eliæ poſtmodum hoſpitiô, celebrata; littoríque Sidonii maris incumbens. Poſt Sidonem, Sareptam, Tyrum; in meridiem, PTOLEMAIS eſt urbs: *Accon* poſtea, priùs autem *Aco*, *Cothâque*, nominata; Phœnicii maris, etiam ipſa, procurrenti crepidini ſuperſtructa. Sequitur hanc, ad eandem Auſtri plagam, quà nunc à Septentrionibus progredi cœpimus; regiuncula NAIDÆA: procul dubiô, non illa (ſint licèt, qui credant) cujus in *agro* fratrem *Abelem* interfeciſſe *Cainus*, à nonnullis fertur: ut, quæ longiſſimè *Damaſceno* diſtet à *campo*; cujus ad oram tamen, & aſpectum, cùm egiſſe vitam *Primi* generis noſtri *Parentes*, cum *Abéle* Cainóque filiis, haud abs re, cenſeantur: & fratricidium illud primum oportuerit eveniſſe. Quòd autem, peractâ ſaltem cæde, ſi non antè, *Naidem* hanc inſeſſam à Caino fuiſſe, contentioſior quiſpiam, Rabbinicis è deliriis, ſomniare poſſet: ſatis, & in *Ruina Caini* diſploſum eſt, habitationis Cainææ deſcriptô locô: tum & è *Geneſi*, Moſis auctoritate, refutatur; qui, *profugum Cainum*,

ad *Orientem Edénis plagam*, habitâſſe, diſertiſſimîs verbis affirmat. (*h*) Terra *Naïs* igitur, ad Caînęam illam coloniam, non iſta, quam nunc in Palæſtina ſtrinximus; ſed alia, terrarum alibi, quærenda nobis videtur: ut & alio locô ſubindicabamus. (*i*) Cùm autem PHOENICIA, quæ, poſt Syriam, à Septentrionibus in Auſtrum, *longô* magis, quàm *latô* ſpatioſóque limite, ſecundùm ſui nominis mare, comes individua, progreditur; ad *Campum* denique *Magnum*, quem *Eſdrelónis*, & *Galilææ Planiciem*, vocant, ſenſim ſeſe conſumat: illâ jam poſt tergum rejectâ; propiùs Auſtralem plagam, terræ tractus ille ſuccedit; quem urbs, *Stratónis* primò *Turris*, poſtea CÆSAREA-PALÆSTINÆ, dici cœpta, mœnibus ædificiiſque magnificentiſſimîs, occupavit: littoralis & ipſe, Mediterranei Maris locus. Longiſſimô deinde, ſecundùm eandem maris oram, limbô, Palæſtinorum procurrit terra; quæ PHILISTHINORUM antiquitus erat: &, à Cæſaréæ Palæſtinæ meridianis finibus, ad *Anthédonem* propemodum, torrenti *Béſori* præjacentem urbem, & uſque *Rhinocorúra* ferè, ſe protendit. Ea pleraque Regio campeſtrî planitie procumbit: herbidâ fertilíque glebâ felicibus, & amœnîs, tam

pratîs, quàm agrîs. (*k*) *Philiſthinæ* regionis urbes, famâ paullò magìs illuſtres, omnésq; ſecundùm Occiduum mare ſitæ; cum Cæſaréa Palæſtinæ, notiſſimâ: ſunt hæ ferè, quæ ſequuntur. *Antipatris*, Capharſalama priùs, ac DORA,(*l*) dicta; priuſquam, in Judæa, rerum Herodes Aſcalonita potiretur. Tum, poſt eam, ulteriùs ad Auſtrum, *Joppe*: quam, Hebræorum priſcam retinentes pronuntiandi conſuetudinem; hodie quoque *Japham*; quin & *Zapham*, aliqui recentiorum, appellant. qui locus, celebrem, & utcunque tolerabilem, hac quoque tempeſtate *Jeroſolymam* ex *Europa* marî petentibus, exhibere portum; perhibetur. Poſt *Joppen*, ab exiguo, meridiem versùs, ſpatiô, pergentibus; *Jamnia* ſe; poſt Jamniam, *Getha*, regalium quondam urbium una: tum, ſuper has, à mari remotior aliquantò; *Bethſamis*: & *Accaron* urbs, *Azotúsque*, mari rurſus propinquior, offerunt. Indè, quam in *Semiramidis Ruina* memorabamus; *Aſcalon*: &, in *Samſonis* rebus-geſtìs producta ſæpe, *Gaza*. quam *Gázaram* poſteriores ætates, eáq; maximè ſæcula nominârunt; quæ *Sacram* olim Francorum *expeditionem*, in *Terram Sanctam*, inſecuta ſunt. Hæque præcipuè memorabi-

les

les *Regionis* Philiſthæorum *maritimæ* ſunt urbes; à Cæſareâ Gazam uſque: quæ *propriè* *Palæſtinam* conſtituunt; ſic dictam, quaſi *Philæſtinam*: ſeu, tenuî litterularum factâ commutatione, Phalæſtinam. Claudit autem *Palæſtinam* hanc, propriè preſſéque dictam, hoc eſt, *Philiſthinorum*, quondam, Regionem, regio CEDAR; Ægypto, Meridieíque, propior. ſed ità tamē claudit; ut PALÆSTINÆ nomen, quod primò maritimi tantùm ſitûs fuerat; *propter longitudinem tractûs illius*, ac plagæ, pervagatum ſenſim *univerſam* fuerit *Chanaanitidem*: ſic, ut idem paullàtim, & SACRÆ totius TERRÆ vocabulum eſſet, & *Philiſtinorum* littoris; PALÆSTINA. Quo proinde *nomine*, nobis quoque viſum eſt, hanc *Topotheſiam* inſcribere. Crediderim autem; id, ut *Partis* vocabulô *Totum* inſigniretur, accidiſſe plurimùm ex eo: quòd, qui vela faciebant *ab Occiduis* terris, in eas Orientis Aſiæque partes; cùm, omnî tandem confectâ navigatione, vel ad *Joppen*, vel ad quemlibet alium illius oræ *portum*, exſcendentes, aſſiduò ſolum *Philiſtinæ Palæſtinæve* regionis vocabulum audirent· nullô poſtmodum diſcrimine, *Terram* reliquam *univerſam*, ad *Jordanem* uſque, compendii cauſâ, PALÆ-

STINAM nominare conſvêrint. Indè pronuntiandi mos hic, & *Conſuetudo* (*quæ plurimùm in omni re valet*) ab ignaris ac *plebejis* enata capitibus, penès *doctiores* quoque demum invaleſcere cœpit, ac regnare: ſic, ut vox, quæ, *marginem* priùs duntaxat *Terræ littoralis* inſignierat; poſtea, terram pervaderet etiam, à *mari* longiùs recedentem: eſſétque nunc illud omne, *Palæſtinas* quod nunquam fuerat *Palæſtinorum*.

Palæſtinæ Regiones,

MEDITERRANEÆ.

AT *mediterraneas* Chanaanitidis Regiones, præter Superiorem Inferiorémque GALILÆAM (quod vocabulum illis poſtera primùm tempora fecerunt) prætérque minores cæteras, ad Septentrionem, ditiones (de quibus eſt antea dictum): SAMARITICA, tum *urbs*, tum *terra*, vel inprímis famoſas ſcriptoribus reliquit. Ea, *Galilæas* inter, & *Judæam*, mediô ſitu; Saulis regis, & aliquot aliorum poſt eum Regum, tempeſtate, SEMERONEM tantummodo *Montem*, ac, vicinas

ei,

ei, tenebat urbes. Ipſa verò poſteriùs, & *urbis* muros, ac Regiæ Sedis majeſtatem, *Samariæ* denique *regionis* appellationem, eſt à Semerone monte nacta. De qua, quoniam *Decade* Ruinarum *Quartâ*, Regum-Iſraëlis occaſione, diffuſiùs aliquantô (quippe, locô ſuô) dico: nunc ſuperſedendum expoſitione pleniore cenſeo. Cæterùm, à tergo, *Samariam*, quà vergit hæc ad meridiem, hinc quidem *Jerichuntis*, ac *Jeroſolymorum*, terra claudit; póſtque dorſum illarum, univerſus *Judææ genuinæ* tractus: illinc autem, propiùs mare-magnum, *Sephaléna*, *Daromaáque*, regiones, *Daróma* namque, quam *Interiorem* appellant (quia geminæ ſunt) & ea videlicet, quæ propior eſt Aſphaltitæ Lacui; magnâ ſui parte, deſertîs ſqualet locîs: nec, niſi per injuriam, fertilibus *Judæ* terris adnumeraretur. Quid enim *Juncis*, ac *rubis*, ad *vitem*, atque *balſamum*?

Palæſtinæ Regiones,

Ad

ORIENTEM.

AD *Orientem* denique, *Chanaanitis*, ac *Palæſtina*, ſui nominis (abuſu ſaltem loquentium, olim autem & uſu regnantium) faciebant; quidquid intrà *Jordanis* ulteriorem eſt ripam, & intrà torrentis *Arnónis* citeriorem, ſitum. Quidquid item terrarum, hinc quidem, inter Jordanis fontes, Aquásque Meromæas, & Mare Galilæum; illinc autem, intrà Montes Arabiæ-Deſertæ, montésque Galaaditicos, extenditur: id univerſum, *Pars* adhuc eſt *Terræ-Promiſſionis*; & Abrahami poſterorum fundus hæreditarius. Eſtque, poſt Trachonitidem, Ituræámq; tanſamnanam, ſuperiùs jam memoratas; Regnum OGI quondam, gigantis, Baſanæorum tyranni: quod regnum ab aliis, etiam GIGANTUM-TERRA nominatur. Hujus fines, à Trachonitide Meridianâ ſe porrigunt, ad *Jabócum* uſque, torrentem. A *Jabóci* deinde ſiniſteriore ripâ, SEHONIS A-

ſtinæ Regiones,

Ad

IENTEM.

tem denique, *Chanaanitis*, ac
, ſui nominis (abuſu ſaltem
olim autem & uſu regnanti-
; quidquid intrà *Jordanis* ul-
ipam, & intrà torrentis *Ar-*
em, ſitum. Quidquid item
c quidem, inter Jordanis fon-
Meromæas, & Mare Galli-
em, intrà Montes Arabiæ-De-
ue Galaaditicos, extenditur.
Pars adhuc eſt *Terra-Promiſſio-*
mi poſterorum fundus hære-
ue, poſt Trachonitidem,
ſamnanam, ſuperiùs jam me-
gnum OGI quondam, gigan-
m tyranni: quod regnum ab
IGANTUM-TERRA nominatur.
à Trachonitide Meridianâ ſ
Jabocum uſque, torrentem.
ſiniſteriore ripâ, SEHONIS A
morrhæ-

image
not
available

morrhæorum olim regis, poſſeſſionis ſpatium extenditur, ad uſque principia terræ *Moabitidis*, illius; quæ *Jordanis* quondam, & *Arnonis*, amnium ripis includebatur: donec eorum uterque *Mare-Mortuum* intraret. Cæterùm, in his ipſis, quæ modò memoravi, *regnis*, ceu *majoribus*; aliæ *contractiorum finium* regiones, *tanquam in matrum ſuarum gremiis filiæ*, continentur, ac ſedent. Potiſſimùm autē in Regno *Baſanæo*, regiones ſunt; ab Aquis Meromæis, Orientem verſùs, *Argobitis*: & *Huſitis* (quam *Auſitidem* Græci nominant) terra; PATIENTI quondam JOBO regnata. Terra quoque *Batanæa*, terráq; *Gaulonitis*: cujus finibus, ad Occiduam cœli plagam, *campi* ſubjacent; quos, ab urbe montanâ Cédare, campis illis vicinâ, CEDARÆOS appellant. Ibi, rerum venalium forum, iis in terris omnium facilè celeberrimum, frequentiſſimúmque: cùm quotannis ingentem accurrentium multitudinem exciperet; nec ſub tectis tamen univerſam caperet: cauſſam occaſionémque præbuit TABERNACULIS quoque CEDARÆIS; quæ *Sacer Scriptor*, quaſi proverbiô, celebrare dignatus eſt: à varietate colorum; & ab umbrarum, ſub quibus inſtitores meridiari ſolebant, amœ-

nitate, Zephyris agitatâ. Sed prætermitti non debet, ne GAMALITICA quidem Toparchia; *Gamalaq* firmiſſimum, ac geminatum, in monte bicipiti caſtellum: Flavii poſtea Joſephi, rerum Judaicarum Scriptoris, præfecturâ, munitionibus, ac præſidiô, nobilitatum. Sic autem dictum eſt, à gibboſa Cameli figura; quam collium ſuorum, tam curvaturâ, quàm vallibus, exprimit. Sic enim &, Arabiæ Deſertæ, Cœle-Syriæque, medius *mons* quidam, apud Stellam Geographum, *Hippus*, id eſt, *Equus*, ab illius jumenti ſimilitudine, nominatur. Ea porrò Regiuncula, *Galilai-maris* principiis, ad Orientem, objacet. Quam mox, ſecundùm ejuſdem maris littus, quà pergitur ad meridiem, GERASENORUM excipit ditio; *Gergeſæis* quondam ab incolis, corúmque flagitiis, ut reliqua Chanaanitis univerſa, deformis, & infamata. Sunt igitur hæ, quas recenſui, *Regni* Basánis, terræ. Cæterùm, nec *Amorrhæorum* quidem Regno, ſuæ deſunt, litterarum memoriâ dignæ, terrarum plagæ. Qualis eſt, cis *Arnonem Rupem* (quæ Galaaditidis regionis tergo, Solem Orientem versùs, impendet) terra THOBÆA; Jephtæ, Ducis olim, ac poſtea Judicis, exiliô latebríſque, dum junior

adhuc eſſet, memorabilis. Huic, propiùs Auſtrum, HOMÆA ſuccedit terra; *Gigantum* etiam ipſa, quondam, colonia. Cuj finitimæ ſunt, ARÖER, urbs regalis; *Arnonis* vicina ripis, ad dextram: ad lævam autem, *Heſebonis* limpidiſſimis Piſcinis: cum urbe cognomine, montanáque, *piſcinis* ſuperimminente. Sequitur deinceps *Homaam*, quam modò produximus, Regionem, Regio PERÆA; magìs in Auſtrum vergens. Cujus *longitudo*, quæ procurrit à *Pella* propemodum (*m*) *Macheruntem* uſque (*mari-mortuo* vicinam, munitionem) Græcam ſui nominis originem ex eo traxit; quòd TRANS amnem Jordanem eſſet ſita. (*n*) De qua *Peraa*, ſicut & *Galilaâ*, Decas Operum iſtorum *Quarta*, Ruinâ trigeſimâ primâ, plus aliquantô loquetur. Et *Peraa* quidem, non *Hebraicum*, ſed *Grajum*, eſt vocabulum: ſicut & alia regionum aliarum, in terris Iſraëlis, non pauca. Sed nimirum, iſta quidem, aliáque talia, Saulis regis ſæculô tempeſtatéque, LOCA NOMINUM erant. NOMINA LOCORUM nondum erant, donec Herodes Aſcalonites, Palæſtinæ regionum, *Regis* jure titulóque, potiretur. Qui, ſicuti familiæ-ſuæ *Circumciſioni*, *Præputium*; ità, ſacris Iſraë-

liticæ terræ vocabulis *incircumciſam* Græciam immiſcere, ceu Regii *profaníque* dominatûs notam, oſtentavit. *Tyrannorum enim eſt; non leges ſolùm, ſed & linguas, evertere.*

AUCTORES.

(A) *Uti fecit & in Atlante Gerardi Mercatoris J. Hondius*: *qui* Idumæam, *Terræ Sanctæ* partem *conſtituit. Addo ego; Idumæam, à temporibus Principatûs ac regni Aſſamonæorum, factam eſſe Judaici Juris pleni (ſicut & alibi Tertiâ Decade, ex Joſepho, doceo). nam tributarii jugi, jam ſub Davide eſſe cœperat: ac ſub regibus aliquot aliis, ante Aſſamonæos, eſſe perrexerat.* (b) *Adrichomium vide, in Tribu Danitica num. 59.* (c) *Tempore Flavii Joſephi, ac Titi, Jeroſolymorum expugnatoris, lib. 7. de bello Judaico, cap. 13. Leges & Jacobum de Vitriaco, librô, de Terra Sancta, c. 84. citatum ad teſtimonium à Chriſtiano Adrichomiô, in Nephthalim. num. 48.* (d) *Ità Stella Sigenas clariſſimè docet, in ſua Terra-Promiſſionis Deſcriptione novâ. Et clarè præterea eruitur, è Chananææ mulieris Evangelicâ hiſtoriâ: quam cùm S. Matthæus, cap. 15. verſ. 26. di-*

cat, & mulierem Chananæam, &, exiſſe de finibus Tyri & Sidonis: *S. Marcus poſtea cap. 7. v. 26. expreſſè* mulierem Gentilem, Syrophœniſſam genere, *nominat.* (e) *Chriſtianus Adrichomius, in Situ ſuo Terræ-Promiſſionis: & item, in deſcriptione Terræ Tribûs Nephtalim, collocat* Ituræam *ſuam, inter Eleutherum, & Jordanem, fluvios, obliquo tractu; aliquantòque remotiùs à citerioribus Libani finibus. Alii verò (ſicut Tilemannus Stella, duabus Tabulis diverſis) Ituræam, longè trans Jordanem, ad Orientem æſtivum, projiciunt: propiùs Damaſcum. Exiſtimare licet; Aut has omnes regiones tales, tam* cis, *quàm* uls *Jordanem, dictas, uno* generali *nomine, fuiſſe,* Ituræas: *aut certè (quod reipſa eodem redit) geminam fuiſſe. ſicut Galilæam, ſic & Ituræam: Occiduam videlicet, & Orientalem; ſeu, quod idem eſt,* Chanaaniticam, & Syriacam, *Cœlo-Syriæ imminentem. Ità diſſenſus Auctorum, compoſitus, redigetur in concordiam.* (f) *Geneſis 20.* (g) *Hanc enim,* Civitatem Sidoniorum, *appellat Adrichomius, in Tribu Aſeris, num. 71,* cujus antiquam magnificentiam, *ait,* adhuc teſtari ruinas. *At Achilles Tatius, qui, poſt Chriſti tempora, Suidâ teſte, vixit, ac ſcripſit, libro 2. Leucippês ſuæ, circa medium,*

ait; ἐπειδὴ ἐγένετο (ὁ Καλλισθένης) κατὰ Σαρεπτὰ, κώμην Τυρίων, ἐπὶ θαλάττην κειμένην, ἐνταῦθα προσπορίζεται λέμβον. &c. *Quibus Achilles verbis, VICUM fuiſſe tunc temporis Sareptam (ſicut Latinus interpres hodiernus vertit) demonſtrat, etſi ſanè, non minùs, & Caſtellum, potuit, & villam, ac pagum, vertere, cùm hæc omnia vox* κώμη *ſignificare poſſit. Agnoſcit autem Achilles,* Sareptam *ſupra mare Phœnicium fuiſſe ſitam; non autem* In *ipſo* mari *(ſicut malè tamen, diſſentientibus vulgò* Tabulîs, *idem ipſe, quem dixi, Latinus interpres addit) ſed potiùs,* Juxta *illud. Niſi fortè tamen mendum irrepſerit, in exemplar* meum *Tatii* Græcanicum: *de quo querela vetus eſt; Auctorem illum, ſæpius, etiam in Manu-ſcriptis exemplaribus, à ſui fontis principiis diſceſſiſſe. Sed ego veriùs, hîc ſaltem, mendum non ſuſpicer interveniſſe; cùm,* Secus mare, *Sareptam, & non* In *ipſo* mari, *Adrichomius quoque, conſenſúsque chorographorum, locet. Quòd autem præterea Achilles,* Sareptam *appellet,* Tyriorum Vicum: *rectiùs eam utique, cum Sacra Scriptura. 3. Regum, capite 17. v. 9. & S. Luca cap. 4. v. 26,* Sidoniorum, *dixiſſet.* (h) *Geneſ. 4. v. 16.* (i) *In opere, de* Ruina Caini. (k) *Hoc idem indicat, Jacobus Wormbserus,*

ſicut

civis Argentinas: qui eam inſpexit annô 1561. die 19. Auguſti: & alii complures. (l) *Ità trahit, expreſſis verbis, Chriſtianus Adrichomius, in deſcriptione Tribûs Manaſſeæ Primâ, num. 8. ad ipſum ſtatim initium.* (m) *Alii quidam, in quibus &* Bartholdus Nihuſius, *Tractatu, de Provinciis Aſiæ, cap. 5. §. 6.* Peræam, *jam à Trachonitide videntur inchoare, (quæ longè tamen ante Pellam, ad Aquilonem, jacet) eò ipſo, quòd Trachonitidem, & Peræam, ex Egeſippi (ut ajunt) ſententiâ, non diſcernũt. Id-ipſi viderint; ſuis utique, boniſq;, rationibus innixi.* (n) *Peræa, à Græco* πέραν, & πέρα, &c. *quæ,* Trans, *ſignificant. Unde etiam* Tranſamnanæ *nomen habet: quòd trans Jordanem, Orientem versùs, ſita ſit.*

CAPUT III.

Quô

PALÆSTINA

Particulatim,

SECUNDUM XII. TRIBUS, perambulatur.

HÆ, quas hucuſque percenſui, magnæ minoréſque, ferè ſunt Chananææ Terræ Regiones: ad Quatuor cœli plagarum notiores vulgò tractus expaſſæ. Sed, meô judiciô, partitio terræ Chanaanitidis univerſæ, nulla, neque commodior eſt, neque compendii lucidioris, quàm ea; quæ per *Duodecim* Iſraëlitarum *Tribus*, ſeſe diffundit. In iſta tamen deſcribendi ratione, viáque; non, utì priùs, à Septentrionibus ad Meridiem, ſed, è contrario, progreſſus à Meridici terris, ad Aquilonares, inſtituetur. Ità, partim varietatis gratiæ conſuletur; partim etiam, nonnulla dignitatis habebitur ratio: cùm videlicet, ab ea *Tribu*, quæ cæteris

nobi-



DIXIT MOY TERRAM BONAM,
TERRAM FRU LOGRANATA,
ET OLIVETA Deuter. 8. I. Sandrart

nobilior eſt, quæque Reges Sanctos, ac Regum-Regem, MESSIAM, nobis produxit; *initium* pariter, *auſpiciúmque*, luſtrationis proſperæ, capiemus. Divinitatis JESU, *Cœlum*; Humanitatis, patria, *Judæa* fuit. Quis, ab hac, non *feliciter* iter inſtituat: quippe, *terreſtri* quodammodo Numinis, quod Hominem induit, *Cœlô*?

Tribus

JUDÆ.

POST *Idumæas* igitur *Alpes*, quæ Meridiem Chanaanitidis Ciſamnanæ tenent; prima jacet, in Septentriones, JUDÆÆ-Tribûs Regio: quæ, Solem Orientem versùs, *Marî Mortuô*, quàm longum eſt; clauditur. Ad Occidentem autem, locîs ac Saltibus jugosîs, quos *Judææ Montana* vocant, obvallatur. In Boream verò, *Benjaminæâ* finitur Terrâ. *Solitudinibus* hæc, memorabilioribus, in paſcua ferè magìs, quàm ſqualorem ac ſterilitatem, interſpergitur: *Deſertô*, quod, *Judææ*, vocant; quódque partim, umbilicum ferme Judææ ditionis inſidet; partim autem, ad *Mor-*

Mortui-maris citeriorem oram, quà paullatim in *Linguam* ſuam, ac *Vallem Salinarum*, Auſtrum versùs, ſe conſumit. ſuper *Eſaan* oppidum, jacet. Poſt hoc, *Deſerta* diverſorum nominum; *Maonu, Zipheum, Engaddæum, Jerüelæum, Thecuæum, Bethlehemiticum;* &, ſiquod eſt, præter hæc, aliud. *Montium*, ac *Petrarum* nobiliorum, præter *Judææ*, quæ dixi, *Montana*, ſunt hæ ferè. *Scorpionis*, quem dicunt, *Aſcenſus;* urbe quondam ſuperædificatâ conſpicuus, cui petræ nomen dedit, *ſcorpionum*, illic abundantium, *multitudo.* Surgit autem, ad *Idumæorum* ferè montium, qui *Sejrii* dicuntur, principia; non ità procul à deſinente *Mari-Mortuo.* Tum, interiùs, paullóque magìs in Boream, *Petra-Diviſionis.* Inferiùs, ad plagam regionis Occiduam, *mons*, Hebræis *Charmel*: ſcriptoribus autem vulgò, *Carmelus*; non ille, qui, ſub extremam Phœnicês Auſtralis oram, mare mediterraneum adjacet, ſupra Ciſonis torrentis oſtium: ſed alter ille, quem *Nabal* incoluit; vir, ſuâ ſtultitiâ, conjugiſque ſuæ prudentiâ, vulgò notiſſimus. *Collis* item *Hachilæus*; naturâ ſimùl, ac manu, factus inacceſſus; & caſtellô, turribus, firmiſſimorúmque mœnium ambitu, totius Judææ ditionis

tionis *Arx*, effectus. Is *Maſſada* quoque poſthæc dici cœpit: ſurgitque, ſupra *Ziphaam* ſolitudinem, in Orientem æſtivum, obliquo tractu; pæne mediô, *Ziphaos* inter, ac *mare mortuum*, ſitu. Sequuntur *Hachilaum* montem, magìs in Aquilonem, ac propiùs *mare-mortuum*, Montes *Engaddæi*; balſami quondam feraces. Ex oppoſito verò, ſed penitùs in Occidentis oram, *Odolla* petra, cum *Spelunca*; juxta quam, tam olim, quàm & poſterìs ſæculìs, etiam *urbs* ſtetit, nominis ejuſdem. *Petra*, *Speluncáque*, latibulô *Davidis*, ac præſidiariorum illius, inter fugam & exilium, inclaruerunt. Celebrantur autem & *Hebronæi* montes, ab *urbe* ſui nominis; de qua poſtea tradetur: necnon *Ephronis mons*; qui, propemodum extremam in oram *Judaicæ-tribûs*-terrarum, quà finiuntur æſtivum in Occaſum verſùs, velut in angulum, receſſit. In quo, non pagi duntaxat olim, ſed *urbes* etiã, ſurgebant. Nec minori tamen celebritáte, *quæ ſinè montibus eſſe non poſſunt*, Judææ fuêre VALLES. In his, ea, quam ſuprà ſtrinxi, *Salinarum Vallis*; ad extremam *mortui-Maris* oram meridianam, ſupra *Scorpionis-Aſcenſum*. Nobilior, ad Septentrionem Judæ, *Vallis* eſt illa; quam felix pugnæ

gne *Joſaphatæa* ſucceſſus, adversùm barbaros, gratæ mentis inſignî titulô, *Benedictionu-Vallem* nominavit. *Terebinthi* præterea (quam, ab ejus arboris, vel frequentiâ, vel eminentiore ſpecie, cognominatam ſic opinor) in celebritate *Vallis* eſt: inſignî *Davidis* adversùs *Goliathum* pugnâ, victoriáque, facta poſteris inſignior. Hæc, ipſam Judææ Septentrionalis *laciniam*, ad Occaſum æſtivum quaſi fugientem, multùm infra caſtellum *Emmauntis*, propemodum ad *Ephronis* uſque montis radices, percurrit. Nobilis item, à rebus, & eventis, in eâ, memorabilibus; *Convallis* illa *Mambræa*: quæ, partim Boream, partim & Solem Occidentem æſtivum versùs; *Hebronem* urbem adjacens; familiaris *Abrahamo Patriarchæ*; cœleſtibus autem Geniis, hoſpita liberaliſque, fuit: amœniſſima ſpecie; frugum fertilis; quercu, multorum ſæculorum annosâ, mirabilis; & umbrâ delicata. Nec prætereunda ſilentiô *Sephataa*, quæ, *Ceſlam* inter, ac *Mareſam* urbes, ſita, *Vallis*: mediô ferè Judææ, quà *Montanis* ſuis in Occaſum incumbit, prata ſua diducit. Ea, prælio ſe victoriçque miniſtram præbuit; quâ *Judææ* rex, *Aſa*, barbarorum decies centena millia, cum trecentorum curruum inſeſſoribus armatîs,

&

& Æthiope Zarâ, ductore copiarum, proſtravit, & evertit. *Torrentibus* porrò *Judæ regio*, vix, niſi *Cedrone*, parte ſuî non magnâ, quà *Lacum* in *Aſphaltiten* feſtinat; ac præter hunc *Béſore*, rigatur: qui de montibus ac petris *Idumæis*, ut plurimùm, effunditur. *Aſphare* denique *lacu* (qui ferè medius, *Hebronem* inter, ac *Mare-mortuum*, ad latus tamen, Septentrionem versùs, fluit) aquarum cenſum auget. De cætero, *ciſternarũ* undîs collectitiîs, ac pluvialibus, ſitim homines, & pecora, ſolantur. Et *aquarum* quidem, etiam extra cœleſtes, ac ſubterraneas, *Orientali* ſaltem *Judæa*, copia non deeſſet, ex *Mari-Mortuo*; quod, Judææ, versùs Arabiam, toti *longitudini* prætentum, illius ſimul terminus ac finis eſt, Sed, quàm hominum jumentorúmque *vivo* gutturi, potus ejuſdem, uſui ſit: hôc ipſo ſatìs hæc aqua ſignificat; quòd *Mortua* ſit, ac dicatur. Fundum hic *Lacus* habet atrum, & glutinoſum: quippe, *bituminis* ferax; unde nomen ei genitum *Aſphaltitæ*: quòd *bitumen*, Græcis, *aſphaltos* ſit. Eo Mahometani, ſiquibus adhuc cura vinetorum eſt, *vitium palmites* circumdant; utile, vermibus viti noxiis enecandis, remedium. *(A)* Eſt, qui *Lacûs* hujus *longitudinem* à Septen-

trionibus in Auſtrum, octo milliarium Alemannicorum veterum eſſe, narret. *(b)* Sunt, qui multò ſpatioſiùs illũ extendant; quippe, quatuor aut quinq; dierum itinere, metiendum: regulâ viæ, vix apud omnes auctoritatem inventurâ. *(c)* Quò tamen univerſo tractu, nec limpidi quidquam, neque frugiferi, mortalibus exhibet: niſi, quòd paſſim murorum ſaxorúmque rudera, vaſtatæ de cœlo *Pentapoleos* infeliciſſimas reliquias, oſtẽtare videatur: & riparum ſuarum accolam nutrire, non infrequentem, feratur, *virulentum* illud *anguis* genus; è cujus irati tumidô capite, caudáq;, venenum illud exſudat, quod in medicorum officinis *Theriacæ* potiſſima *virtus*, & tanquam *anima*, ſit: medicamentũ, *Ægyptiis* olim *Sultanis* in pretio. *(d)* Sunt hæc *Mortui-Maris*, quæ produxi, *mala*; gluten aſphalticum; ſteriles ac fœtentes ripæ; graveolens ſemper aër; ac *lethifer* juxtà *ſerpẽs*. quæ *mala* tamen, quoad fas eſt, in *bona* vertit, inventrix artium, ac ſalubriũ excogitatrix, Induſtria mortalis. Cæterùm, & *Urbium*, in terra *Judææ Tribûs*, major eſt, quàm pro finiũ ſpatiô, frequentia. Quarum nominatiores, ab Auſtro Septentrionem versùs pergendo, ſunt. *Arad*, *Eſaan*, *Ruma*, *Dimôna*, *Gilon* Achi-

Achitophelis, *Goſen*, *Holon*, *Cariótha*, *Taphua Judaica.* Præter has, *Iether*, Levitarum urbs, ad *Sepháta* vallem: *Maréſa*, *Ceſla*, *Cariatharbe*, poſteris *Hebron* dicta: *Lobna*, *Macéda*, *Bethsúra*, *Bethlehemum*, *Thecua*, *Bezéca*, *Segor*; una, Pentapoleos urbium: ſed exſcidio ſociarum, aliquantiſper, dilata magis, quàm ſubducta. Quam, ad Auſtrum ſita, montíque ſuperimpoſita, ſupercilió ſuô, tanquam ſubjectam, & ancillam, humiliore jacentem ſitu, deſuper *urbs Engaddæa* deſpectabat. Inter has porrò cunctas Judaicæ Tribûs *urbes*, locô principe ſunt; *Bethlehemum*, & *Hebron*: iſta, Sede *regis*; illa, *Natali* ſolô *Regis*-*Regum*.

BETHLEHEMI parvitatem, magnitudo corrigit, ſparſæ per orbem, famæ; de Chriſti cunabulis, ac præſepi. Commendat loci gratiam, ſoli fertilitas; Solíſque, medió quoque brumæ tempore, Natalitiíſque Chriſti feriîs, hilarior ardentiórq; radius: qui, vel tūc jam, *æſtivarum*, ſub arboribus, *umbrarum* deſideriū injiciat; ad ſpicula caloris evitanda. *(e)* Juvat præterea cæteram loci gratiam, & intendit, camporum, oppidulo ſubjacentium, incredibilis amœnitas; agrorum, ac ſegetum, eó tempore ſenſim vernantium, viriditas; diſpoſitáq; frondentium Olearum, per omnem

Caput III.

illam planitiem in qua paſtoribus pacificum *Chriſti* narravit ortum *Archangelus*, multitudo, mirum quantùm, oculis, ac mentibus, adridens. *(f)* Fertur eô loci *Parthenon* ſtetiſſe quondam; celebri quidem *Virginum*, DEO ſacratarum, coetu: ſed eô caſti domicilii fatô, quod corruptas, aut priùs, quàm intrarent, arceret: aut, poſtquam ingreſſæ corporis ſui florem polluiſſent, ejiceret. Non ferebant contaminatæ, loci reverentiam: nec locus, contaminatis indignans, irreverentem foedatarum odorem, ac moram. *(g)* HEBRON autem, & antiquitate quondam originis, & Abrahami poſtea coloniâ, diverſoriô, ſepulcrô; Davidis deniq; Regiâ Sede, grandis, & in majeſtate. Fertur hæc, aut nunc etiam adhuc, aut non multùm ante memoriam avorum noſtrorum; tempeſtate, quâ Saracenis illæ terræ, Sultaniſque Memphiticis, ſubjacebant: *urbis* ſpeciem, ac dignitatem, haud quaquam aſpernandam, tenuiſſe. De montis vertice, qui juxtà ſurgebat, deſpicientibus; è valle, pedéque Montis, reſplendebat *Hebron*. ædificiorum amabili ſpecie; fundíque circumjacentis inſigni bonitate; frugum ubertate; ſtirpium diverſi generis, & inprimis olivetorum bacciferô virore, conſpicua.

nulli

Caput III.

nulli denique regionis illius urbium amœnitate,vel cultu,ſecunda. Monſtratur etiamnum illic, in *Hebronis* vicinia, quà reſpicit Orientem, *Patriarcharum trium*, Tumulus; excelſus inprimis, & ingentibus octo, clathrô præmunitîs, feneſtris ac valvîs, per ambitum, adornatus: nequis, niſi Mahometis cultor ac ſectator, intret. Proſpectus tamen, ad fundum uſq; ſepulcri (quod prælucidum eſt) etiam Judæis, atq; Chriſtianis, Saracenorum indulgentiâ, permittitur, introitus ipſe, deſcensúsq;, non permittuntur. Et hoc fortaſſe (barbarorum ſaltem quorundam, ac profanorum) bonô. Ferunt enim; eorum, qui ſeſe, vel furtim illuc, vel datô pretiô, penetraviſſent, indè neminem revertiſſe *vivum*. Aut *Curioſitas* illos; aut *Impuri mores*; aut *aëris* denique, ſemper incluſi, *ſpiſſus vapor*, obſtrangulârunt. (*h*).

Tribus
SIMEONIS.

INFRA Judaicæ Tribûs terram, Occidentem versùs, *Simeonis*, ac *Danis*, Tribus incolebant: illa Meridiem, hæc Septentrionem,

Caput III.

nem, reſpicientes. SIMEONITICA Regio, quà Solem Orientem excipit, *Judææ Montanis*, magnam ſuî partem; campeſtriúmque finium, qui *montibus Idumæis* ſubjacent, intermiſsô ſpatiô, clauditur. Ab Auſtro verò, *Torrente*, qui *Rivus-Ægypti* dicitur; ab Occaſu, Philiſthinîs finibus, ac littore Mediterranei Maris; ab Aquilone denique, *Soréci*, tam Torrente, quàm Valle, terminatur. Torrentis *Béſoru* flexuosô curſu, quem in *Juda* jam terris inchoârat, pæne media, paullóque plenioribus ripîs, interſecatur: donec, ad *Majómam* denique, Mare-Magnum intret. Solitudine celebris eſt *Berſábæaná*; Fontéque Solitudinis, quem *Angelus* Agari, cum Iſmaële filio ſitî confectæ, monſtravit: necnon *Eliæ* vatis *Juniperô*; ſub qua laſſum ille fugâ, fame, potúſque penuriâ, corpus abjecit. Sparſim, circa *Beſoris* utramq; ripam, *Putei* ſunt; à priſcis, & ab *Iſaaco* Patriarchâ nominatim, effoſſi. *Lacus* item: alius quidem, ad *Aſanem*, Leviticam urbem: alius autem, ſuper Aſcalonem urbem, ad Auſtrum; & *Palus* quædam, vulgò ſine nomine, quà tenditur ad *Aegypti Rivum*. Hujus *Paludis* in vicinia, poſterîs tempeſtatibus, divus Solitudinum cultor, *Hilarion*, caſam ſuam conſtituit. *Montibus*

Caput III.

bus paſſim, ſed non continuatîs, terra *Simeonis*, tam *continens*, quàm *littoralis*, inſurgit. Quorum inprimis clari: *Mons*; in cujus verticē *Samſon* Gazæ portas deportavit: & eſt ad Orientem Gazæ ſitus. *Angar* quoq;, poſt Aſcalonem, Meridiem versùs, mari ſuperincumbens. *Nemore* quoque, quod *Abrahami* nominabat antiquitas, haud ità procul citeriore *Béſoris* ripâ, gaudebat: illius, à quo *nomen* accepit, & *manu* conſitô quondam; & religione, Numiníſque cultu, ſacratô. (*i*) *Continentis* Urbium, eminent inprímis, non tam magnitudine, quàm rerum in iis olim geſtarum celebritate: *Sicélega*; Davidis habitatione quondā, ac pręſidió, famoſa: *Jima*, Joſuæ volumine nominata civitas. *Gerara*, Palæſtinorum regis, *Abimelechi*, ſedes; & *Abrahæ Saraæq;* diuturnum hoſpitium. *Berſabéa* quoque; ſuper Béſoris & ipſa ripam citeriorem, ſicut *Gerara*, latiùs nomine, quàm mœnibus, extenſa: duorum Samuelis filiorum tribunalî nota. *Dabira* præterea, cum *Harmâ*, Regales olim urbes; & Amorrhæis Chananæíſque regnatæ. *Maritimarum* autem *urbium* clarius longè, profanîs præſertim Scriptoribus, nomen eſt, *Aſcalonis*; quam in *Semiramide* deſcripſi: *Majóma* quoq;, portûs quondam

Caput III.

dam, ac rerum venalium fori, *Gazæorum*; quam, *Conſtantiam* Chriſtiana poſtea ſæcula nominârunt, ac mox, *Gazam-Maritimam*: *Anthédonis* itē, urbis *Idumæorum* maritimæ; quam Herodes Aſcalonites & *Antipatridem* poſtea (ſed Meridianam) dici voluit. Super *Anthédonem* quoque *Ráphia* jacebat, in Meridiem; ingens olim urbs: ac præliô, quod ad eam, inter Ptolemæum Philopátorem, Antiochúmque Magnum, commiſſum eſt, nobilitata. Quam, eodem in Auſtrum maritimô limite, *Rhinocorúra* ſequebatur urbs; cis oſtium *Torrentis Ægypti* ſurgens. Omnium autem, Funiculi *Simeonis*, urbium, maximè, tam Sacrîs, quàm Græcis profaníſq; librîs, eſt nobilitata Gaza, quæ, quoniam à *Gaza-maritima*, ſeu Majómâ, maríq;, viginti non ampliùs ſtadiîs, hoc eſt, horæ, quartæq; partis horæ, viâ diſtat; & inter *continentis* poteſt urbes, & inter *maritimas*, æſtimari. Memini *Gazæ*; cùm *Samſonem*, ac civiū urbis illius interitum, explicarem. Hujus urbis, quâ parte vicinum ſpectat mare, ſabuloſum eſt ſolum, ideóq; ſterile; nullíq; rei, quàm agendis, ad ejus interitum, cuniculis, idoneum: ſiqua Q. Curt. de rebus Alexādri, fides eſt. Sed, alterius partis, quà Solem Orientem reſpicit; quin &, quà

quà Septentrionem, & Auſtrum, videt, glebæ bonitate corrigitur. *Urbs* ipſa, colli, nunc quoque, ſuperimpoſita; ſpatiô domiciliorum, ac mœnium ambitu, perquā eſt ampla. Monſtrantur adhuc hodie *templi*, manibus *Samſonaîs* ſubruti, ſaxea fundamenta. *Suburbana* Gazæ, circumquaque (ſi, quà mare littúsq; reſpiciunt, excipias) agrorum, ac frugum, univerſi generis, tum & nemorum hortorúmq;, lætiſſimâ rident ubertate: ſic, ut in propinquo ne *palmeta* quidem Gazæorum pagis deſint, ac dactyli. Quo fit, ut *venalium* fructuum admirandâ, tum copiâ, tum varietate, *Gazæ*, *forum* excellat: ideóq; frequentetur, incolatúrque, non à *Turcis* tantùm, *Agareniſque* turbis, ſed etiam ab ingenti *Chriſtianorum* incolarum multitudine. *Poma Punica*, *citria*, quæque dicunt, à colore gratiáque corticis, *Aurea Nerantiáve*; quin & *uvæ* (ſed importatæ: quippe, negligentibus vinearum cultum Mahometanis) obvia paſſim *Gazæ*, parvóque parabilia, terræ dona ſunt. *Siti* peregrinorum, diverſi cultûs, ac Sacrorum, *botri* medentur: &, è *malogranatis* expreſſus, in potionem, ſuccus, (*k*) Ità *Gaza*, tot naturæ divitiîs opulenta, nominis ſui meritum, non ſuis tantùm inco-

lis,ſed & *Perſis* probat antiquis: quibus,*Ingentes Opes*, ac *Regia* præſertim, erant *Gaza*. (*)

Tribus.

DANITICA.

DANÆÆ *Tribûs*,utì *parva* terrarum portio fuit;ità *perquam-magnô*,ſiquis alius bellicoſæ Chanaanitidis tractus,*Heroë*, ſuî cive,*Samſone* videlicet,eſt impleta: quem genuit, & educavit. Hæc terminos habet; ab Oriente quidem,*Judææ-Montanam* oram: ab Occidente verò, Philiſthæorum maritimam: ab Auſtro, Sorécum torrentem: à Borea denique, Benjaminææ Tribûs,ac partis Ephraimitarum, latus. *Lacum* habet, in extremo ferè ſuî, quà Septentrionibus incumbit, limite, *Caſpinium*; à ſui nominis urbe, nobilem: *Fontem* item, ad radices montanas; in quo,*Philippi* manu,*Cándacis*, Æthiopum Reginæ, *Quæſtor*,& *Evnuchus*, ablutus eſt, ac Sacris noſtris inſertus; haud ità procul Soréco torrēte: ſecundùm ipſam, quæ fert in Ægyptum,viam. *Torrente*,Regio *Danitica*, geminô rigatur: quorum alter Septen-

ptentrionem verſùs, ingens; *Philiſthinorum* vulgò nominatur:&,è montano Judææ tractu delapſus, poſt flexus aliquot,ac reflexus, in mare denique magnum, Sachrónam inter,& Getham, effunditur. *Alter* autem *torrentium*, ad Auſtrum Danitis, idem fluens, idémq; metas ac limitem ponẽs; *Sorécus* eſt, cum ſui nominis *Valle*: cumprimis *vitiferâ* quondam, ac, *botrorum* ab inſolenti *magnitudine*, nobis alibi jam commendatâ. (*l*) *Nebelóſcolem* indè gens Hebræa, tam *Torrentem*, quàm *Vallem*, nominavit: *uvâ* (quam vegrandem illinc, è vecte, duo terræ ſpeculatores aſportârant) *miraculum* ſimùl illis,ac *vocabulum*, imprimente. Multa ſunt, inter duos hos rivos, geſtorum *Samſonis* antiqua, quæ nunc quoque peregrinis monſtrantur, inclytáque monimenta: quà genitus, ac nutritus: quà leonem diſcerpſerit, & in ejus rictu favum invenerit: quà jumenti-mandibulâ mille barbaros interfecerit;& ex eádem, oppreſſus ſitî, fontanam precibus elicuerit, (unde, *Lechi*, factum loco nomen): quâ præterea parte, Philiſtinorum *annum*, in agris; & *autumnum*, in olivetis ac vineis, exuſſerit. ad quem item montem, non uno genere *ferarum* abundantem, *trecentas vulpes* illas venatus,

natus nactúſque ſit; quibus ille, deligatîs ad earum caudis facibus, & *Cererem* eorum, & *Bacchum*, atque *Palladem*, incendit. (*m*) *Urbes* porrò, cæteris inſigniores à priſca fama, *continens* terræ-Danitarum habebat (ſed earũ non paucas, *Philiſthææ* poſſeſſionis): inprimis *Sáraam*, ac *Zanoën*; quantumvis, ob viciniã, cujpiam *Montanis* potiùs *Judææ*, quàm *Tribui Danis*, accenſendæ videri poſſent. Fuerunt itẽ urbes; *Sárara*, versùs Idumæã, nec procul Soréco torrente: *Gábathon*, quam & *Gebbethónem* biblici Regũ annales poſtea nominârunt: de qua *Decas Quarta* memorabit, in Ruina Regum Iſraëliticorum. *Eſthaol*, urbs olim, patria *Samſonis*; hodie villula: quam inter, & *Jéthelam*, urbem aliam, *Tumulus* fuit, & cadaver, Samſonis. *Hejrſemes* item, *Civitas-Solis* aliter appellata, *Thamnátha*; Judæ Patriarchæ, tondentis oves, ac Thamari ſe, futuræ nurui, per imprudentiam miſcentis, memoriâ notabilis. Sed nullâ re memorabilior, quàm *Samſonis* nuptiis, uxore, ſocerô, Philiſthæiſque; domum, cum familia cunctâ, flammæ tradentibus: odiô Samſonis; &, inflictæ per eum cladis, vindictâ. *Gethremmon* præterea, ponè lævam *Philiſthæi-torrentis* ripam. *Majajarcóma*, civitas; ingentis

tis ſtagni ripis impoſita, cui reſpondet è regione, Septentrionem versùs, *Caſpin* urbs; & ipſa ſtagno, duorum ſtadiorum latitudinis, imminens; *Judæ Machabæi* ſæculô permunita, ſed ab eo capta: cæſorúmque ſanguine ſtagnū univerſum purpuriſſante, cladis funeſtæ *theatrum* effecta. Sed inter *Continentis Danitica* claras urbes, vix ulla *Modina* clarior eſt, ad *Torrentem* ſitâ *Philiſthæorum*, in excelſo monte; quem *Judæ-montem* quidam appellant: etſi ſanè *Montanis* à *Judaicis* plurimùm, mare versùs, recedentem. ut proinde, rectiùs à *Juda* Machabæo ſic dici, quàm à *Judæ Tribu*, videatur. Fuit enim *Módina*, Machabæorum Heroum natale ſolum. Quorum idcirco *monimenta* ſuperſunt, etiam hâc adhuc tempeſtate; ſuperfuerúntque, *Chriſtianis* ſub Regibus Terræ-Sanctæ, plura quondam, ac vivaciora. Quales, marmoreæ *Septem pyramides* ſepulcrales; propter ingentem operis altitudinem, ac nitorem, etiam procùl in mari mediterraneo conſtitutis, ac navigantibus, conſpicuæ. Quales item, Montes, Deſertum, Speluncæ; populi, ſub Antiocho Syro, latibula: quarum in una, *mille*, Sabbatô quodam, utriuſque ſexûs Hebræi, barbaricô cæſi ferrô ſunt. *Béthſames* autem, intrà *funi-*

funiculum & ipſa *Danaæ Tribûs*, infra Thamnatam, Getham verſùs, ſita; non tam mœnium & urbis, quàm luctuoſæ cladis, magnitudine, nobis inclaruit: deletis, immiſsâ divinitus plagâ, propter impudentẽ *Arcæ Sacræ* retectionem, *pluſquam quinquaginta millibus* corũ; qui tunc illuc, ad divinæ ſcrutationem Ciſtæ, tanquã profanum ad ſpectaculũ, undiq; ſe conglobârant, *Urbium* deniq;, quæ vel littori *Magni-Maris* impoſitæ, vel ab eo proximè diſtabant (ideóque *Maritimæ*, miſtâ nuncupatione, dici non inconvenienter poſſunt) ab Auſtro Boream verſùs tendentibus, *Azotus*, *Accaron*, *Getha*, *Sachróna*, præſtò ſunt: Philiſthæorũ olim, vel Regiæ, vel Prætoria. Poſt quas, *Jamnia* ſequitur; &, interpoſitô promontoriô (cuj *Bala* nomẽ), *Joppe*; quam, ut ſuprà dictum eſt, ex antiquiſſimo nomine, revocatô, recentiores nũc denuò *Japham* vocant. Dictu, mirum ſimùl, ac miſerandum! quantùm longæva vetuſtas, non in *hominum* modò, ſed & in *urbium*, annos, ſæculáque, poſſit! *Getha*, tam magna quondam, ac magnifica, *regum urbs*; hodie, *trium* vix *culminum* villula, collem ſuum ſitúmque veterẽ, occupat: *ruinæ* quidem ſuæ memor, ac teſtis; ſed, immemor potentiæ: quin &, *priſci*

nominis oblita, nam eam, *Ybilim*, hodie Saraceni dicunt. Sic & *Accaron*, appellationis quidem antiquæ retinens; magnitudinis autem, ac dignitatis ſuæ, faſtigiô dejecta: perpaucîs è tectis agreſtibus, *fumum* adhuc, &, cum hoc, *rerum humanarũ vanitatem*, oſtentat. *Azotus*, Philiſthinorum olim *Areópagus*, ac *tribunal*: hodie vix *Pagus* eſt, *Viculus* potiùs, ac rudera (*n*), ſuperſunt. De *Joppa* verò, maximô quondam portu, locóque, murîs, & ipſius loci ſitu, ſiquis alius, permunitô; domus hodie nulla ſupereſt, inconvulſa. ſuperſunt *duæ turres* littorales: &, ad littus ipſum, horribiles nautis, ac ſubinde periculoſi, *ſcopuli*; naufragiorum inſidiæ, (†) Denique *Rupes*, ex his, *una*, ferreô grandî circulô, manu fabrorum impactô, conſpicua; cuj, retinacula navium, rudentes, inſeruntur. Ad Rupem illã, revincta quondã fuiſſe, *gigantéi* corporis, *Andrómeda* virgo, Céphei filia, perhibetur: quam deinde Perſeus in libertatem, ac thalami pacti jus, aſſeruiſſe, fertur. (*o*) Quid igitur aliud *univerſa* jam eſt *Joppe*? quàm, in urbe, *pulvis*? in portu quandóq;, de naufragiis, *tabulæ*? vetuſtiſſimúmq;, ſcopulorum Andromedæ, Perſéiq;, monimentum: id eſt, *Fabula*?

Tribus
BENJAMINÆA.

TERRA ſortis *Benjaminæa*, ſi *figuram* ſpectes limitum ejus; ab Occaſu ſurſum, Orientem verſùs, ſurgens, pæne *Pedis humani* formam, cum ſura, tibiâ, coxendicéq;, ſed ſinè planta, videri poteſt, exprimere. Latior enim in ſummo, diffuſiórque; pedetētim deinde coit in arctiora dimenſionum ſpatia: donec, ad extremum, velut in talo pedis, & non in planta veſtigióve, ſe conſumat. Ab Ortu Solis, Jordane; Meridiem verſùs, Judæ Daníſque lateribus, finitur: ad Occaſum, Ramáthæ viciniam urget, ad *aliā* jam *Tribum* ſe flectentis. Quà verò Septentrionibus objacet; tota quanta finibus, ac montibus, *Ephraimæis* incumbit. Rigatur *aquîs*: parte quidem *Jordanis*, in brachia diffluentis; & inſulas aliquot efformántis: parte verò, torrentis quoque *Cedrónis*: cujus tamen alveus, evaneſcente non rarò caloribus æſtivìs undâ, vel ſicco ſubinde tranſmitti pede ſolet; aut vix attingente talos defluxu fugitivô. Quem interim, nihilo minùs, *lapi-*

lapideô dignata *ponte* jam olim fuit ædilium induſtria. (*p*) *Deſertîs*, ſed ferè *compaſcuîs*, locîs aliquot interſcinditur: ut *Jerichuntinô*, *Quarantanaq́;* Deſertô. Quorum poſterius, *Joanni Baptiſtæ*, ſolitariam in ætate virili vitam agenti; *Chriſtóque*, quadraginta dierum jejunium obeunti, frequentatum fuit. *Deſertô* præterea Terra Tribûs hujus aliô diſtinguitur; quod *Haiticum* appellant: & *Solitudine*, quam *Bethavæam* vocant. *Adommimaîs* item illîs, inter Jeroſolymam & Jerichuntem, ſalebrîs, atque teſquîs, latrociniô ſemper, effuſóque viatorum *cruore*, formidandîs, horret. *Valle* verò, præter minoris nominis alias, *unâ* potiſſimùm celebriore, ſubmittitur: ſpatioſâ pariter, & amœnâ, frugúmque generis omnis feraci: quam *Raphaimæam*, ſeu *Gigantum*, appellant; quæque ſui principium à Septentrionali Jeroſolymæ látere capit. *Urbium* ingens olim, & vis illic, & copia, fuit. Memorabiliores; *Galgala*, *Jericho*, *Bethel*, *Hais*, *Silo*, *Gabaa*-*Saulis*; *Gabaon*; deceptorum-Joſuæ civitas: *Bethóron*, ac *Nobe-Sacerdotum*; à Doëgo, Saulíſque cæteris emiſſariîs, deleta. Caput denique cunctarum Chanaanitidis urbium, JEROSOLYMA. De qua, cùm abunde multa, tum olim ab aliis,

 tum

Caput III.

tum ab *Adrichomio* noviſſimè, tradita ſint; longior eſſe, ſuperſedeo. Sufficiet, admonere; Saxoſô, difficiliſque culturæ, locô, nec jam eodem per omnia, quo quondam, ſitu, poſitam urbem eſſe. *Calvariæ* quoq; *montem*, qui *ſuburbanus* antiquitus fuerat; hodie, cum *Sepulcro* pariter *Servatoris*, mœnibus incluſũ, conſpici. *Montes* eam undique, valléſq;, circũveniunt. *(q)* Cùm autem *quatergemina* quondã fuerit *Jeroſolyma* (quippe *Superior*, ſive Davidis: *Inferior*, ſeu Filia Sionis: *Secunda Civitas*, ac *Civitas-Nova*) proptereáq; prægrandis, etiã adhuc *Eſdræ Nehemiæq;* temporibus, poſt illatã à Nabuchodonoſore ruinã, & exſcidium *(r)*; ac poſteá multò magis *Herodis* regnô, Neroníſq; ſub imperio: multùm hodie ſuî degener, tamen etiamnum SPIRÆ Németum, ad Rheni ripas, retinere magnitudinem, ambitúmque, perhibetur. *(s)* JERICHUNTIS item ager, ac vicinia, nondum penitùs ab amœnitatis priſcæ genio diſceſſerunt. *Vallis*, & *campi*, qui *Jerichuntem* ambit, clementia; montium ac tramitum, per quos *Jeroſolymis* illuc iter eſt, aſperitatem corrigit. *(t)* Ac licèt *Urbs* ipſa (tantæ quondam potentiæ, molíſque) non, niſi *pagus*, ſit hodie; locô tamen, amœnô cumprimis, ac fertiliſſimô,

mô, procumbit. *(u)* Hinc proximum eſt, ad *Jordanem* amnem, ac ſatìs expeditum, iter. JORDANES (quod mireris), etſi locô, quo *Benjaminiticæ Tribûs* oram, Arabiam Orientémque verſus, finit, jam, confectô pæne curſu, deproperet ad oſtium ſuum, *Mari Mortuo*, cuj tandem ſe miſcet, proximus; universâ tamen *ordinariâ* ſuâ *latitudine* (niſi vehementiùs interdum exundet) non fertur excedere *decimum paſſum geometricum*. Et inter hæc tamen, quoties *Libani* liquefactis nivibus increſcit, *navium*, etiam *Onerariarum*, patiens. Tantò *profundior* eſt igitur; ac præterea *limoſus*, *(x)* & *paluſtri*, quàm *fluviali*, propior aquæ. Qui, licèt potu dulcis, ac piſcoſus *(y)* ſit amnis; lentus tamen, ac torpidus, & piger, incedit. Sed & abluturis ſe, *natatu* difficilis; *enatatu*, niſi peritiſſimè tractatus, difficilior *(z)*: interdúmq;, protervius confidentiúsque ſeipſos ei committentibus, aut inevitabilî ſubmerſione fatalis; aut ingenti certè vitæ periculô malefidus. *(Aa)* Cauſſas infauſtæ natationis, ſunt, qui referant, in *Mortui-maris*, infenſas homini, jámq; ſenſim *Jordani* ſe miſcentes, undas. In *beſtias* alii *lacuſtres*, culpam interitûs multorum reſcribunt: tanquam, ex eodem *Mari Mortuo* Jor-

danem adverſum ſubintrantes;ac natantium pedes, admorſos, fatalî torpedine ligantes. In *petulantiæ vindictam* alii triſtem natantium ſucceſſum transferunt: (*bb*) quâ fluitantium *irreverens*, in ſacratum à Chriſto lavacrum,*levitas* divinitus caſtigetur. Quod ego poſtremum, propiùs fidem eſſe, cenſuerim;cum *Felice Fabri*,quæſtionis hujus diſcuſſore. Reverentiùs adhuc agunt; qui, religiosâ corporis in amnem merſione, non contenti;*cymbala* præterea, *noláſque*,Campanô fuſas ære, ſecúmque tranſmarinis ex oris apportatas, unà ſecum tingunt: perſuaſi (neſcio, quorúmnam, & quàm certâ,traditione?) *tintinnabulorum*, Jordanis fluctibus immerſorum, eam divinitus eſſe potentiam: ut, quàm longè poſtea, latéque, ſonitus, inter tonitrua, ſpargatur; *fulmina*, cœleſtéſque clades, diffringant. *Sic Aquam, de Flamma, triumphare.* (*cc*)

Tribus

EPHRAIMI,

FInitur, ab Ortu Solis, parte *Regiæ*, quam appellant, *Vallis*, ac citeriore ripâ *Jordanis*: ab Auſtro, Benjamínis látere, quà ſe reclinat in Aquilones, ab Aquilonibus, tractu finium Dimidiæ Tribûs Manaſſis, *Cis-amnanæ*: Solis autem ad Occaſum, montibus *Antipatridis*; aut, ſiquando plenô funiculô jus ſuum teneret, ad littus maris ab Antipatride circiter, ad uſque ferè *Joppen*, in Auſtri plagam. *Montes* habet, à *Tribûs* ipſius genitore dictos, *Ephraimæos*; alteros quidem, ab æſtivo Solis ortu, per obliquum, procurſu jugorum pæne continuatô, protēſos in Occaſum hybernum: Alteros autem, propiùs mare, recto limite, versùs Auſtrum à Septentrione ſe porrigentem. Sed hæc quidem Alpium continua ſunt juga. Præter hos verò, celebriores, ac ſeparatos ferè, *Montes*, hæc Regio ſurrigit: *Orébum*; non illum Arabiæ, juxta Sinæam Petram, ſed illum alium, ad quem cæſus *Orébus* eſt, Madianitarum quondam ductor, ævô Gedeonis: *Mon-*

Caput III.

ſem quoque *Gáaſum*, ex quo rivus in mare defluit: *montem* Ramath-Sophimæum: ac *Saronæ* jugum: & Antipatridis, ſaltuoſum collium dorſum, mari prætentum. *Montem* item *Gariʒæum*, oſtentat; monti *Selmonis*, ac *Semeronis* (ſuper quem poſita poſtea Samaritarum urbs) è regione, ſed magis in Auſtros, reſpondentem: ac *monti Móriæ*, qui Jeroſolymîs *Templô Salomonis* triumphabat, deterioribus poſtea Judæorum temporibus, per æmulationem, oppoſitum: Templô contra Templum, & *adversùs Aram Arâ*, ſuperbiente. *Torrente*, versùs Ortum, *Caríthe* ſecatur: qui, tricipitî profluxu, *Vallem*, *Arundineti* nomine vulgò dictam, in Inſulam, *tridentis* ferè figurâ, redigit; ac ſtatim in Jordanem exoneratur. de quo dictum in ſuperioribus eſt; ut & de *Rivis* duobus aliis, ad Occaſum *Ephraimææ Tribûs*: quorum alter, ad meridiem; ad Aquilonem alter, è montibus ſuis, in mare Mediterraneum delabuntur. *Vallium*, amœniſſima; ſed major adhuc *Camporum*, eſt gratia: qui circa *Saronam*, ab Arcto versùs Auſtrum, ſecundùm Philiſthini littoris longitudinem expanduntur: *Saronæi* propterea dicti. *Regionis* iſtius *cãpeſtris*, & univerſim, omnis ferè *Palæſtinæ maritimæ*, quà de

Caſarea finibus *Joppen* uſq; protenditur, Incredibilis eſt, non tantùm ad *aſpectum*, à virore pratorum, amœnitas; ſed etiam, ad *vita fructum*, atque delicias, ab agrorum nemorúmque proventu, fertilitas: & hæc quidem, tantô plerumque *Solis*, tum *recti*, tum è vicino mari *repercuſſi*, calore: rariſſimôque, niſi menſibus hybernîs, cœleſtium aquarum defluxu. *Rore* duntaxat nocturnô, matutinóq;, glebæ bonitas adjuta; ſuprà, quàm exſpectares, ſuū facit officium: pecori juxtà, cultoribúſque ſuis, ad ſaginam opíma. (*dd*) Quare mirandum non ſit; introductîs jam olim à *Joſua* ſuas in poſſeſſiones Iſraëlitîs, iiſque pacificè fruentibus; diutiſſimè tamen, ac multa per ſæcula, *maritima* loca ſub poteſtatem eorum non conceſſiſſe: reſiſtentibus fortiſſimè *Philiſthaîs*, ac ſubjugari detrectantibus, ob terræ bonitatem; cujus amor dominos veteres retinebat adſtrictos. *Urbes* porrò *Tribus Ephraimaa*, ſui juris, habebat, tum alias inſignes; tum in terra continente, ſurſum versùm ad Orientem ab Occaſu pergentibus: *Balsáliſam, Liddam, Sarónam*; à monte, de quo dictum eſt, appellatam: *Bethóron*-Superiorem; *Thamathsáram*, urbem aliquando maximam, *Joſuæq;* Ducis ſedem: *Pharathónem, Sícharem*,

(olim *Sichêmum*, poſtea *Neapolim*, dictam) cuj vicinum *Pradium* eſt, ac Mauſoléum, *Joſephi*. *Rumam* itē, Abimelechi tyranni Sedem: *Samariam*, Iſraëlitarum regiam; *Machmas*, *Gethremmónem*, *Luzam*, *Atarótham*, ac *Táphuam*: regiam olim, ac potentē inter primas, urbem. Ex his, de *Samariæ* magnitudine, ſplēdoréque, pluribus agit *Decas Quarta*, Primâ ſtatim *Ruinâ*: quò proinde lectoris ſpem (cùm ſcripta jam ſit) remitto: ne bis eádem de re cogar tradere. Satìs hîc ſit hoc unicum: Spatiô viæ perexiguô, ſupra *Samariam* urbem, *Iſchariotum*, Orientem versùs, ſitum fuiſſe; locum, *Judæ Proditoris* natale ſolum. Unde conſtet; non *Galilæum* fuiſſe, ſed *Samaritam* (patellâ ſuâ dignum operculum) ſed, qui *feliciùs natus fuiſſet Nuſquam*. Urbs præterea, *Luza*; vicinam ſibi *Débboræ* notiſſimam illam *Palmam* habet: de qua *Siſaræ Ruina*, Decade Secundâ, meminerat. *Machmas*, utcunque grandem, ferunt, urbem fuiſſe; *Tribûs Ephraimææ* terminum Auſtralem: *Jonathæ* poſtea *Machabæi* prætoriam Sedem. Et hunc ipſum, ajunt, locum (quippe, diverſoriô viatorum frequentari ſuetum) detexiſſe primum omnium Joſepho, *Deiparáq;*, pueri Jesu *duodecennis* abſentiam: quo tempore

Caput III. pore

poſt Jeroſolymîs Nazarethum revertebantur. Eſt enim in ipſo látere *viæ*, quæ fert Jeroſolymîs in Galilæam : & *unius*, non plus, *diei* diſtat itinere, Jeroſolymâ Nazarethum repetentibus. *(ee) Thamnatsâre*, monti Gáaſo ſuperimpoſita, látere montis Septentrionalî, *monimentum* habebat; oſſium *Joſuæ Ducis* longævam cuſtodiam : ad *Hieronymi* videlicet uſque tempora. Cujus *Sepulcri* quò certior indagaturis poſteris nota conſtaret; ſummo conditorio *Solis* effigiem majores inſculpſerant: inſigne, *quieſcentis* illic *Herois* illius, qui *motui* Sideris iſtius, ſuæ vocis imperiô, *quietem* ac ſtationẽ indixit. *(ff) Ramātha*, quæ, ſupra *Caſpim*, monti *Sophimæo* jam olim impoſita, celebris eſt, à *Samuelis* (ut alibi dictum eſt) ortu tumulóque locus: *limes* eſt Ephraimææ Tribûs, *tribum Danæam* versùs; ac commeantium in Palæſtinam ex Europa peregrinorum, antiquiſſimum, quantumvis illiberale nunc & inhoſpitum, diverſorium. *Viam*, ab urbe Portúque *Joppæo*, Ramatham uſque, planam admodum, herbidámque, memorant Fránconis cujuſdam *Equitis-aurati* Peregrinationis *Ephemerides*, eſſe tantô ſpatiô; quantum, *Herbipolim* inter, & *Ochſenfurtum*, extenditur. (gg) A *Mo-*

gnitudine verò *Ramathæ*, qualis erat adhuc ſubSultanis Memphiticis, ante plenum Turcarum in Palæſtina dominatum, ſupra ſæculum abhinc alterum; ſuperatum fuiſſe, ferunt, *Rotenburgi* ſpatium, & amplitudinem; quam urbs hæc Alemannorum, ad *Neccari* ripas, occupat. *(hh)* Cæterùm & *Ephraimæas*, & *Dimidiæ Manaſſis*, cum *Iſacharæa*, (quamvis amœniſſimas olim, ac multô frequentes cultore) *terras*; infeſtatas à *Leonibus* fuiſſe ſatìs, è ſacris librorum regiorum monimentis, ſcimus. Nec mirum, id accidiſſe, tam *impiis* tunc regionum illarum colonis: utpote, qui, traducti de ſacrilegis Orientis, ac Medorum, & Aſſyriæ, terris; juxta *Deum-Cœli*, venerari ſolerent (& magìs quidem) *Deos* terræ *fictiles*, & Inferorum monſtra, Diabolos. *Propter hæc immiſit in eos Dominus* (inquit Sacer Scriptor) *LEONES*: *qui jugulabant mortales illos*, qui *Samariam*, & urbes *Samariticæ ditionis*, incolebant. *(ii)* Ac certè, DEO promptum erat, etiam è *vicino* (ne *longiùs* eſſet, in Hyrcaniam, aut Indos, eundum) Samaritis ſævas has feras immittere. *Jordanes* erat amnis, *in propinquo*: cujus citerior ulteriórque ripa, maximè ſupra Mare-Galilæum, Auſtrum versùs, *nemoribus*, ſaltuosìs locis,

— Caput III.

locîs, dumetîs, & careĉtîs, frequentes erant. Et è regione ſtatim *Ephraimæi* montium *jugi*, Jordanem versùs, *Arundinetum*, in Valle Cis-amnana, denſum ſurgebat. In omnibus his arbuſtis, & aſpretis, ferarum genus omne, cubilia ſua locabant: &, quoties *Divinæ voluntatis*, vel *ſibilô* duntaxat, evocarentur; erumpebant: ac terram curſu, terrore, prædarum indagine, pervolitabant. Et adeò quidem id faciebant, irâ Numinis extraordinariâ, frequenter, ac ferociter; ut illuc, *ſenſu* ſaltem *Litteræ* (quem vocant) reſpexiſſe Davidem nonnulli credant; cùm in Pſalmo rogaret; *Increpari Feras Arundinis*, & à Deo cohiberi: ne, pro conſuetudine furoris ſui, progrederentur ulteriùs. (*kk*) Nec tamen interim difficultatis ullius Deo fuit: aut *Leones* Samaritis, aut *Urſos* Bethelæis pueris, ad *Eliſai* gemitum, immittere; vel aliîs è locis, etiam *remotiſſimîs*, evocatos: vel etiam, punĉtô temporis, è *nihilo productos*, ac ſævire juſſos. *Chriſtianîs* interim à *ſæculis* mitius, Palæſtinæ Jordaníſque feris, ingenium inſeri cœptum eſt. *Rudolphi* certè *Suchinatis*, *Weſtphali*, teſtimonium eſt; quo tempore Chanaanitidem is obiit, & incoluit (quod annorum fuit quatuordecim), non multò poſt Sæculum Chri-

Caput III.

Chriſti decimum tertium): quotidie, veſpe-râ paullatim calores minuente, ferarum omne nomen, non vulpes modò, lépores, damas, & capreas, ſed & *Leones*, miſtô viæ commerciô, pariter ad *Jordanis* amnem, properare conſuêſſe: pariter aquari; depulsáque ſiti, non ſolùm ipſas inter ſe belluas, ad latibula ſua concordes remeare: ſed & homines, quotquot euntibus, aut redeuntibus, occurriſſent, illæſos, ac pacificè, præterire ſolitas; ad uſque miraculum. Nimirùm, *In manu Domini*, non ſolùm, Hominum, ſed & Belluarum-*Regû, cor eſt!* Quod autem plus ſtupeas: Unum præcipuè, memorat, *Leonem* tunc adeò familiariter hominibus uſum; utì nec *fugaret* quenquam occurſantium; nec invicem, quantumvis ferocem, & armîs accinctum, ipſe *fugeret*: &, quibus propiorem eum fieri contigiſſet, blandiri caudæ flagellô, geſtiret: qui denique noceret nemini, neque colono, neque pecudi. Morem autem hunc *humanitatis belluinæ*, tamdiù *Leonem* hunc tenuiſſe; quoad denique, ſagittarii cujuſpiam, è comitatu *Suchenatis* iſtius, quem dixi, petulantiâ laceſſitus; inſtitutum ingeniúmque, mutaret. Namq; ſemel iterúmque *ſagittâ* petitus, cùm primò tantum-

Caput III.

tummodo telum iratus invaſiſſet; poſtea verò, geminatum ad ictum, arduus, & adverſô corpore, contemnenti ſimilis, aſſurrexiſſet: ad extremum ſeſe generoſô receſſu proripuit; &, *ut in ſylvas*, ſic ad majorum ſuorum *indolem*, revertit: nulli deinceps humano corpori ſanguiníque parcens. *(ll)* In omni namque vultu, *Sagittarium*, & in omni, contrà ſe gradientis, Oculo radiante, *Spiculum* ſibi, Leo ferox, imaginabatur, & *ictum*. Nimirum, *Patientia*, ſæpius *læſa*, tandem non ſolùm in *Nervum*, ſed etiam in ſolam Nervi ſuſpicionem, erumpit!

Tribûs

MANASSÆÆ

Dimidium,

Cis-Jordanem,

AB Aquilone, campos habet, qui montium Gelboæorum radicibus accumbunt; & *campi Magni* (quem & *Eſdrelonæum*, ac *Mageddæum*, appellant) partem: quibus campis *Galilæa* finitur *Inferior*,

Au-

Caput III.

Auſtrum verſùs; & *Samariæ regio*, verſùs Aquilonem. A meridie, Tribûs Ephraimææ terrîs clauditur: Ad Solis autem Orientis plagam, Jordane; quà verò reſpicit Occidentem, montibus *Japhiæis*, ac mediterranei maris littoribus. Præter *Rivos* duos Minores, *Torrentem* habet, undîs, quàm nomine, diffuſiorem (nec enim aliter, quàm *Torrens*, nominatur): qui, de *Monte* quodam, *Ephraimæi* tractûs, ab Auſtri partibus, erumpens; multiplicî deinde flexu, nunc *remotior*, nunc autem, *poſt Mageddonem* urbem præteritam, *vicinior* mari magno: rurſus ad Orientem ſe flectens Æſtivum, poſt *Aphraimum* urbem (quæ Tribûs eſt *Iſacharææ*) præſtrictã, in *Torrentem* ſe *Ciſonem* exonerat. *Palude* celebratur unicâ, memorabiliore: nec tam ab unda, quàm ab ejus incola, frequente *Crocodilo*: quo ſtagnum hoc, vel *Nilum* ipſum Ægyptium, ſi non provocat, certè tamen æmulatur. Tanta (quod meritò mireris) illic generis iſtius eſt multitudo! prætendi-túrque, quam dixi, *Palus*, ab Ortu Sòlis, *Palæſtinorum Cæſaréæ*: perexiguô, ſtagnum inter, ac mare, ſpatiô continentis interjectô. (*mm*) *Sylvâ* viret *Montanâ*, paullô ſupra Magni Maris littus, ac montes Japhiæos: Orientem

tem verſùs. Ulteriùs autem ad Ortum, *Sylvam* oſtentat aliam, Monti, quem Prophetarum dicunt, impoſitam; cujus in latibulis *Abdias*, Achabi regis diſpenſator, vates religiòſos centum, geminîs diversè locîs abſtruſos, *Jezabelis* reginæ furenti gladio ſubduxit. Hic *mons*, mediô ferè, *Therſam* inter, ac *Mare Magnum*, ſitu ſpatióque ſurgit. *Convalle* porrò tractus hujus terræ (quà ſe ſubmittit Orienti Soli, Jordaníſque citeriori ripæ) gaudet, omnium totius Chanaanitidis vallium amœniſſimâ, fertiliſſimáque; quam *Saveam*, & *Regiam*: uſitatiſſimè verò, *Vallem*, & *Campum*, (nn) *Illuſtrem* appellant. Hujus, à *mari Galilæo*, ſurgunt initia: *mari mortuô* tenus, ultima finiuntur. Prata verò, planáque, tam cis Jordanem, ad Iſraëlitarum terras, quàm ultrà, Moabitarum & Arabum in oras, exſpatiantur; vernante plerumque floribus, & herbîs, ſoli fertilitate; colorúmque ſpecie, conſpicuâ. Circa Jordanis autem marginem, etiam *nemoribus*, ad omnem oculorum voluptatem, Planities illa viret. Cæterùm & *Urbium* hæc *Manaſſææ Tribûs* pars, nec frequentiâ, neq; nobilitate, deſtituebatur antiquitus. Earum nominatiſſimæ: paullùm infra Jordanem, *Bethſan*, ſeu *Scythopolis*:

lis: mare Galilæum verſùs. Ponè Jordanem verò, *Salémum*; Melchiſedechi quondam, Regis, ac Sacerdotis, (utì quidam perhibent) ſedes; potiùs, quàm ea, quæ *Jeroſólyma* poſtea nomen eſt ſortita: locus, viciniâ *Joannis Baptiſtæ*, populum Jordanis aquîs abluentis, famoſus. (*oo*) Super Occidui verò maris oram, ad Aquilones, *Dora*; ſic ſimpliciter dicta, nam & *aliæ*, nominis ejuſdem, idem ad mare, ſtabant urbes: ut, *Antipatris*, &, Suchenate teſte, *Cæſaréa* quoque: necnon & alia quædam, in caſtelli formam, *Dora*, poſt Gazam, Ægyptum verſùs. Poſt *Doram*, in Auſtrum, *Cæſarea-Palæſtinæ*: remotiúſq;, poſt hanc, ad eandem cœli plagam, ea, quam diximus, *Antipatris* Iſraëlitica; *Capharsálama* quōdam dicta. *Continentis* autē *Interioris* urbes, ab Occidente pergentibus in Ortum, occurrunt: *Capharnaum*; non illud diverſæ Tribûs, ad ſtagnum Geneſarethæum: ſed aliud quoddam, *montanum*, in collibus Japhiæis. Neque procùl erat *Galgala*; non illa Benjaminæa, ſed Manaſſææ tribûs: ac *Mageddo*, trans *torrentem* illum *Ephræmæorum montium*; de quo dictum ſuperiùs eſt: útraque, regales olim, ac magnificæ, Chananæorum Urbes. *Gaber* præterea; ſita ſuper montem editum:

&

& *Narbátha* campeſtris: & ſuper eas, in Ortum, *Gethremmon* Manaſſæorum; *Balaáma*; *Thebes*. *Thanácum* item, ac *Therſa*, regum veterum ambæ quondam, inclytæque, ſedes: tum & *Abelmeula*, vatis *Eliſæi* natale ſolum; & *Acrabata*; geminæque, nominis unius & ejusdem, *Bethséca*. Quibus *Ephram* adjunge; *Gedeonis*, & *patriam* & *prætoriam* urbem: cujus nos, Decade proximè priore, meminimus; cùm *Abimelechi* deſcriberemus interitum. Præcipuè verò, non prætermittenda magni priſcique nominis, urbs JEZRAELA; pedi montium *Gelboæorum*, qui finiuntur in Occidentem, adſtructa: regum Iſraëliticorum, & Achabi præſertim, ac Jezabelis, & filiorum, ad amœnitatem, ac ruſticationes, diverticulum. Remittebant enim illic, & diffundebant, animum, propter agri campique circumjacentis fertilem virorem, ac prædia; vinetis, olivetisque, læta. Monimentum illic eſt, *Vinea* quoque *Nabothea*: quod ut à cæteris vitiferis collibus atque campis diſcerni poſſet; *lapides*, in caput innocentis Domini conjecti, poſteritati conſignavêre. Terminus autem eſt *Jezraëla*, quam diximus, terrarum *Manaſſis*, & *Iſácharæa*: tanquam limes inter utramque defixus: ut proinde pars

urbis ejus *Aquilonaris*,ad Iſacharem; ad Manaſſæos autem, pars *Auſtralior* ſpectare, videri poſſet. Inter univerſas autem *Tribûs* iſtius,quam exſequimur,urbes;*Cæſarêa* principatur, ea; quæ, littus inter, *magni-maris*, ac *paludem*, quam dixi, ſuam, ſita, tanquam in Iſthmo, *Palæſtina* cognomen retinuit, in præſens uſque tempus: propterea, quòd illic, finitâ jam à Septentrionibus *Phœniciâ*, Philiſthæorum regiones littorales, Auſtrum versùs, initium ſuî capiant. Ea, de vulgi ſaltem ſententiâ, *Turris* olim (puta, *Stratonis*) pòſt paullatim, oppidum, & *urbs*; in *Turres plurimas*, ac *Judaæ* tandem *Arcem regiam*, aſſurrexit. *Amplificatorem* illius couſque magnificum, & accuratum, *Herodes* ſe præbuit *Aſcalonites*;ut *Conditor* ejus,ac certè *pluſquam Inſtaurator*, cenſeri meritò poſſit. Urbem enim is olim,látere coctili, ſaxíſque, compactam; *Auguſti Cæſaris* imitator, è lateritia *marmoream* planè totam fecit:refulgentibus,*Parii* Porphyreticíque ſaxi nitore, non Optimatum tantùm, regulorúmque, palatiîs; ſed privatorum quoq; domiciliîs. Idem autem & *Portum* pariter, quem, extra muros, magnificentiſſimum ac tutiſſimum, inter altitudinis horrendæ ſcopulos, exſtruxerat;

rat; pulcherrimâ, per ambitum, densôque nexu continuatâ, *marmorearum ædium*, ac *diverſiorum*, coronâ circumcluſit. Quo fiebat: ut, hinc quidem in vaſtum æquor, ſerenô die, radiîs Solis incidentibus; illinc autem, in politiſſimi marmoris *urbem*, àc ſuburbanum *portum*, ſplendore reverberatô: *Cæſaréa*, quaſi tota, *cæleſti* ſimùl *terreſtríque* videretur *ardere* jubare, nitoríſque flammâ. *(pp)* Sicut autem mortalia *caduca* ſunt omnia: ſuperfuit è tanto, támque latè ſparsô, *Cæſaréa* ſplendore, trecentîs abhinc annîs *(qq)*, urbis priſcæ ſola *baſilica*; ſtructuræ cumprimis elegantis. Ac, nequis vel *Sanctitatem* in ea, vel *Antiquitatem*, deſideraret; fuerat hæc ipſa, Cornelii quondam Centurionis *Domus*: Angeli, Petri, dominíque ſui, *religioſiſſimîs* preſſa *veſtigîis*: Et ideò, vel hôc ſolô titulô, *totâ Cæſareâ major*.

 Tribus

Caput III.

Tribus

ISACHARÆA,

QUA Sol oritur, Jordane terminatur: quà petit Occaſum, Occiduô marî. latera, Borcam quidem versùs, plerumque montibus *Hermoniis*; in Auſtrum verò, *Gelboæis* aliquouſque; tum, quà deficiunt hi, finibus *Manaſſææ Tribûs* Aquilonaribus, ac *Mageddónis*, & *Cæſaréæ*, limitibus, includuntur. *Torrentis*, qui de *montibus Ephræmæis* decurrit (de quo dictum paullò ſuperiùs eſt) parte poſtremâ, Solem occidentem versùs, ejus *latitudo* perluitur: ac *rivô* præterea; qui, de ſuburbano *Jezraëlæ* fonte ſcaturiẽs, & obliquó ſe curſu per campum Eſdrelonæum agens, *Ciſoni* denique miſcetur. Nam *Ciſon* ipſe, *Zabuloniam* ad *Tribum* ſpectat: etſi, Septentrionum tenus, *Iſacharææ* regionis limes eſt, ac terminus. *Montium* eminentiores, ſunt: *Carmélus*, Eliâ prophetâ, ſuî cultore, poſterorúmque, ſectatorum ejus, coloniâ nobilis: & *Hermon, major minórque*; quæ juga ſunt montiũ, continuata, roſcida, peramœna. Quibus opponuntur, *Gelboæi* montes, *Carmelus*, Occi-

Caput III.

Occiduum mare deſpicit; à cujus littoribus, haud ità multùm, ad interiora *continentis* recedit. Ejus (ut & *Taboris*, ad aliam pertinentis Tribum) tam editus apertúſque vertex eſt; ut in *Cypro* quoque, de ſummo cacumine montis illius, qui *Beati Latronis* Crucem adſervat, reluceat: ac, ſudô cœlô, Phœniciam versùs oculos & aſpectum mittentibus, clarè refulgeat, ac diſtinctè cernatur. *(rr) Gelboæas* autem *Alpes*, nos in *Ruina Saulis*, opportunitate datâ, delibavimus. Sed eſt, qui, *recentiorũ* è numero, ſic eas depingat. *In finibus*, inquit, *Galilææ* (*Galilæa* quippe, quã *Inferiorem* appellamus, in *Iſacharis* uſq; terram ab Aquilone, Meridiem versùs, nec ulteriùs, procurrit; progreſſum ampliorem Samariticâ coërcente terrâ) *frugiferi ſunt, ac modici, planíque, ſinè prominentibus aſpretis, aut impeditis tramitibus, colles (ss): nec admodum editi. quorum tamen ſoli bonitas, pecus multum, & gramen herbámque plurimam, in pabulum, éducat. Ibì Saulis, ac Jonathæ, cum Iſraëlitis cæſorum, antiqua cladis monimenta ſunt. Quanquam autem roris, ac pluviæ, fomenta, vulgò collibus illis, in noſtram uſq; tempeſtatem, ſubtracta de cœlô, propter Davidis execrationes, videantur: herbidi tamen etiám-*

Caput III.

num, pinguéſque paſcuîs, ſunt; &, bonitate glebæ prolecta, domicilia mortalium illic, humanáque commercia: quin &, Sacri Benedictinorũ, ac Ciſtercienſium, cœtus frequentes, aliquot ſæculîs, egerunt. Hæc ille. Poſt Vallem porrò *Jezraëlæam*, quæ mediam Iſacharææ Tribûs terram percurrit, ad Occidentem *Campus* eſt; cognomentô *Magnus*, à *latitudine* nominatus; aliter, *Eſdrelonæus*, ab *Eſdrelóne*, nominis uſitatioris oppidô. *Continentis* urbes, ab Ortu, ſunt: *Iſachar*, à Tribu ſuâ ſic appellata (nam, quæ latus illius adjacet, *Bethſan*, ſive *Scythopolis*; alterius, quàm Iſacharæi, juris urbs eſt): juxta quam tamen, ad Auſtrale latus qui ſurgit, *lucus*, Iſacharæam ad ditionem pertinet: clade funeſtus *tredecim millium* Judaicæ gentis virorum; quos, per ſummam circumvẽtos perfidiam, *Idololatræ Scythopolitani*, poſt partam eorum operâ victoriam, immaniter omnes jugulaverunt. Infra *Bethsánem*, & *Isácharem*, *Ceſion* urbs, propiùs ſtagnum Geneſarethæum: &, ultra Ciſonem amnem, adhuc ſola ditionis Iſacharææ, *Tarichéa*, ſub monte, ſuprà Galilæi Maris littus ſita; munitiſſima ſimùl urbs, ac populoſiſſima. quippe, civium *quadraginta millibus* habitata, ſub Judaici belli, Joſephíque Flavii, tem-

tempora. Sunt autem, infra juxtáque *Ceſionem* urbem, aliæ quædam urbes altrinſecus. Et hinc quidem, in capite montium Gelboæorum, *Raméthà*; civitas antiqua, mox, ad pedem montis Auſtralem, *Ramótha* campeſtris: non illa *Galaaditica*; ſed *Levitarum*, ac ciſamnana. Tum *Arbela*; montanum, ſupra tractum Hermónis, oppidum; viciniâ ſpeluncarum, ac *latronum* poſtea multitudine, quos *Herodes* eradicavit, infame. Tum, ulteriùs ad Occidentem, & ad pedem *Hermonis* montis, *majoris*; *Rabbótha*, vetus urbs; & *Anaarátha*, *Cedeſſáque*: non illa Nephtalæa, ſed Levitarum; & *Endor*, Saulis, ac *Pythoniſſæ* mulieris: & *Seon*, hodie *villa*, quæ montana quondam *urbs*; ac, ſecundùm Ciſonis torrentis crepidinem, *Naimum* illud, *viduæ*: cujus extinctum filium CHRISTUS in vitam, nudæ, ſed divinæ, vocis imperiô reduxit. Præterea, contra *Seónem*, in Auſtrum, *Jaramótha*, Levitarum: *Aphéca*, propemodum in capite campi magni, qui *Galilææ-Planities* appellatur: &, in extremo *Carmeli* mõtis pede (procurrit enim hic mons, jugis minoribus, per obliquum, ab Occidentis æſtivi plagis, in Orientem hybernum) *Bethſemes*; auctore Bredenbachiô. Tractus porrò maris

Caput III.

Occidui littoralis, *promontorium* habet *Carmelæum*: ac ſuper illud, remotiùs aliquantulùm in Aquilones, *Pórſinam*, ſeu *Porphyriam* urbem; quæ *Cajphas* appellata primîs Eccleſiæ temporibus eſt: eò, quòd illam exſtruxiſſe *Joſephus* feratur, cognomentô *Caiphas*, Summus Jeroſolymorum Pontifex; & exſtructâ, dominatus ſit. Cujus tamen, penès auctores, eſto, ſuper hôc *perfidô* Servatoris inſectatore, *fides!* (*tt*).

Tribus

ZABULONIA.

TRIBûs hujus *funiculus*, atque terra, Solem Orientem versùs, ingentî *latitudine*, propemodum ad maris Galilæi *longitudinis* menſurã expanſa: fine verò ſuî, quà deſinit in Occaſum, acumine contractiſſimô, pæne quandam *calicis* erecti, ſed inæqualis ventris, & incurvi pedis, figuram æmulatur. *Operculum* ejus, ſeu *caput*, videri littus Galilæi maris occiduum, poſſit. *baſis*, ac pedunculus illius, eſt; litoris *magni-maris* exiguum illud, quod inter *Ciſonis* ac *Jephtaëlis*

ëlis torrentium oſtia ſe porrigit,intervallum. Ab Auſtrali plaga, *torrente* diſcluditur *Ciſone*; quàm longus *terræ Zabuloniæ* tractus eſt: ab Aquilone verò, parte Tribûs Aſeræ,partéq; Nephtalææ,diſterminatur. *Vallibus* gaudet, tum aliîs peramœnîs, & compaſcuîs: tum inprímis eâ, quam *Carmelónem* vocant, à *Carmeli* montis cognatâ viciniâ; *Nazarethi* montibus,ad Occaſum ſubjacente: necnon *Valle*, quam, à ſui nominis torrente, *Jephtaëlæam* appellant; inter Carmelonem, & Occiduum mare, ſitâ. *Montibus* autem inſurgit excelſiſſimîs: inter quos præcipuæ celebritatis eſt; *Tabor*; nobis tamen in *Ruina*, jam *Siſaræ* deſcriptus. *Montes* deinde *Nazareni*, *Zabulonii*, *Bethulienſes*, *Jotapatæi*. Vix quoque tractuum *Galilææ* quiſquam alius *amænior* eſt; eô; qui littori Galilæi maris *Occiduo* præpanditur. Illic enim, ſuper ipſam *Geneſaræi ſtagni* fertiliſſimam oram, à Borea, meridiem versùs tendentibus; non *urbes* & oppida tantùm, celebrium nominum, *Bethsáida*, *Magdalum*, ac *Tyberias*, occurrunt; ſed etiam vitiferi, pomiferiq;, *citriorum* ac *Nerantiorum* malorum; colles, & horti. quin & citra *Tarichéam*, adhuc in *Zabulonio tractu*, nobile *palmeti* nemus. *Urbium* nominatiſſi-

mæ; tum eæ, quas modò memoravi; tum, in *terra continente*, numerantibus ab Ortu Solis ad Occaſum loca, præſtò ſunt; *Jotápata:* tum ipſa montanis impoſita jugis; tum circumcirca ferè montiū clauſa verticibus, atque petrîs. Poſt hanc, è regione, contra *Jotápatam*, ſed in Aquilonem remotior, urbs *Remmon*; *Tacasínum*, *Japha*, *Capharata*, *Bethlehemum-Galilæum*, *Cartha*, *Jédaba*, *Dothaímum*; urbs, *ciſternæ* viciniâ memorabilis, in quam invidia fraterna *Joſephum* quondam, *Patriarcham*, demiſit. *Bethulia* præterea, montibus, de quibus dictum eſt, impoſita: *Judithæq;* generosâ manu, contra tota Barbarorum, & *Holofernis*, caſtra, defenſa. *Sémeron* inſuper, *Galilæorum*; urbs olim regalis; & *Bérſaba*, *Saffa*, *Sephoríſque*; *Diocæſaréa* poſteris appellata, totius Galilææ caſtellorū munitiſſimum caſtellū; urbiúmq; maxima quondā, & opulentiſſima. Poſt quam, Occidentē versùs, impoſitū monti *Nazarethum:* natalibus magìs, cunabulíſque, *Deiparæ* Virginis, & educatione *Chriſti*; quàm *turribus*, & amplitudine mœnium, eminet. Infra *Nazarethum*, ſed ad latus Boreale, versùs Occidentem æſtivum, *Cana* jacet illa; cujus (ut & alibi dictum eſt) *fontanam*, in *vinum* converſam, *nu-*

ptia biberunt; merô *naturali*, propter inopiam, exhauſtæ. Cæterùm hæc, ſupra *Jephtaëlem* ſita torrentem, *Cana Minor* dicebatur: quòd *Majorem* aliam, ei cognominem, *Tribus Aſeræa* poſſidebat. Infra *Canam* deniq;, propiùs mare magnum, *Zabulon* erat, urbs; à *Tribu* ſuámet, *auctoréque* Tribûs, nominata. Cujus ad Auſtrinum latus, *Jecónama*; regalis olim urbs. Cæterarum autem indicem texi fuſiorem; nec operæpretii, nec inſtituti noſtri, fuerit. Præſtiterit; quæ de *Mari Galilæo*, quæque de *nominatioribus urbium*, cognitu digna ſunt, deflorari. mox, ad *Aſeræam* deinceps *Terram*, promoveri gradum. *Galilæum* ergo *Mare* (quod & *Tyberiadis*, ab urbe, nominis hujus, littoribus ejus imminente, vocatur) ſtadia *latitudinis* fertur quadraginta minimùm; *longitudinis* autem, explere, pluſquam centum. Breviter *Seydlizius*; milliaribus Alemannicis geminis *longum*; uno *latum* eſſe, Stagnum *Geneſaræum*, affirmat. *Univerſus autem* illius *ambitus*, ſi *Rudolpho Suchenati* credimus, *oculato teſti*; milliarium, gentibus illis uſitatorum, viginti menſuram complectitur. Quam viæ menſuram, *Niger*, apud *Adrichomium*, ad ſingula paſſuum millia redigit. *Undam* alit *dulcem*, ac

ac potantibus habilem, atque gratam: nec, utì cæterorum ferè Lacuum, deſidem, atque pigram; ſed, aurarum beneficiô, lenè ſuavitérque ſpirantium, ferè ſemper agitari ſuetam: & ideò *vividam*, atque *ſanam*. *Piſces* Chanaanitidi ſubmittebat, jam olim, *electiſſimos*: ſed *Piſcatores*, Orbi terrarum, *electiores*; in Simone *Petro*, collegiſque: quos, ex illo mari *Servator* extractos, *ad capiendum cælo mundum*, emiſit. *Tyberias*, magnifica quondam Galilæi littoris urbs; à ſæculo jam tertio, vix quidquam habet urbis: & antehac tamen, Chriſtianis adhuc Palæſtinâ potientibus, *cathedrâ*, tribunalíque conſpicua Pontificiô. Sed, quæ *profani* juris erant, & *ſuburbanæ thermæ*, potiſſimáque *Galilæi maris* poſſeſſio; tenebantur ab regionis illius illuſtri quodam virô. *(uu) Bethſaida*, quæ *Petrum* nobis, *Andreámque*, protulit, *orbis-Apoſtolos*, qualis olim fuerit, florentibus Galilæorum opibus, amœnitas, ac ſuburbana quoq; fertilitas; veſtigia docēt, vel hodiernæ tempeſtatis, ac cœli clementia; quæ, *Januarii* menſis procurſu, non prata tantùm pulcherrimo virore graminis expandit; ſed *aurea* quoque *mala*, matura jam menſe palatóque; cæteri verò generis arborum *flores* plenos, ad odoris & ocu-

Caput III.

oculorum oblectamentum, aperit,& exponit. (*xx*) Tabor, & *urbs* erat, & *mons*; ſed, diſtinctô ſitu. nam *urbs*, aſſignata Levitarum coloniæ, *Saſſam* inter, ac montem Taborem,ad latus, in Boream obliquatô flexu, ſtabat. *Mons* autem, ſolitarius,in campeſtri planitie, nulli cohærens alii, vel jugo, vel colli; ſurgit etiamnũ hac tempeſtate: montium, qui latè cominus eum, eminúsque, circumſtant, *eminentiſſimus*. Non *ovum ovo* (quod vulgò dicimus) *ſimilius* eſſe creditur; quàm *Tabor* mons, *altitudine*, ceteráque formâ totâ, Paderbornenſis diœceſeos illi monti,quem *Iſenbergum* appellant: ſicut nonnemini, montis illius, ac terrarum, gentili, qui *Taborem* accuratè diſpexit, eſt viſum, ac deprehenſum. (*yy*) Cæterùm, *Taboræus*, in ſummo ſuî, *tractus* ac *vertex*; non modò *Chriſtum* olim, *ſe transformantem*,ſuſtentare, dignus eſt habitus: ſed etiam, poſteris Chriſtianorum ætatibus, Sacræ Benedictinorum congregationis cœnobium, eodem ipſo *Transfigurati Servatoris* in veſtigio, cum *templo*,tenuit:operibus,ſumptibúsq; regiîs,ad omnẽ magnificentiam, nec ſinè validis munimentis, ac turribus, exſtructum. (*zz*) *Mons* præterea,cuj *Bethulia*-Judithæ, cum ar-

ce

ce munitiſſimâ, crebríſque turribus, ac domiciliis, inſiſtebat: propter *altitudinem*, longè latéq;, totâ renídet Galilæâ. Superſunt antiquæ firmitatis, etiam nunc, tum aliæ, per montem ſparſæ paſſim reliquiæ; tum, ad montis pedem, inſigne, propugnaculíſque ſolidum, adversùs hoſtes, *caſtellum*. (*Aaa*) NAZARETHUM, inprimis nitida quondam nobilíſque *Galilæorum*, non (ut quidam opinatus eſt) *Nephtalææ*, ſed *Zabuloniæ*, Tribûs urbs; medios inter montes, & ipſa montis, tanquam Alpium illarum umbilici, ſupercilio, capitíque, ſuperædificata ſtabat: ac verticem montanum, domiciliorum ſuorûm quaſi *diademate* quodam, haud ſecus, ac *Samaria* clivum ſuum, coronabat. *Urbs* ea, nunc *oppidum* veriùs, aut *caſtellum*; nondum tamen omnem, nec ad *noſtram* quidem *ætatem*, nitoris ſui faciem (utì temporum iſtorum fortunæ-ſors, atque captus, eſt) amiſit: utcunque frequens etiamnum, & culta, tectis. (*bbb*) Adhuc ſub annum milleſimum, quadringenteſimum, quadrageſimum nonum, & ſitus urbis illius, & urbs ipſa, perquam amœna (*ccc*); civium, & inquilinorum, frequentiam alebat: alliciente trahentéque cultorem aliunde, tum *Nazarethani* ſoli

ſoli geniô (quod *Solum*, ut pléraque *Galilaæ* locorum illorum facies, *Ringgoviæ Rheno-ripenſi* reſpondere ſpecie fertur): tum *incunabulorum Deiparæ* religiosâ memoriâ, *Fonte* quoque geminô, limpidîs undîs abundante, pars urbis ſuperior irrigua; ſubjectam quoque vallem, diſpenſatîs per declivia rivulîs, exhilarat, ac fœcundat. Quòd autem ſint, qui, viſum illic adoratúmque ſibi *locum*, *ſacellúmque*, referant; quin &, in eodem à ſe *pernoctatum*, *in quo Virginem Matrem Archangelus*, cœlô miſſus, *ſalutârit*: facere fidẽ indubitatam nequeunt iis, quibus perſuaſum & exploratum eſt; *domicilium* illud *cubiculúmve Virgineum*, ab anno jam Chriſtiano M, CC, XCI, poſt ademptam nobis *Ptolemaidem*, Majo menſe, Nicolao IV, Pontifice Maximô, transportatum ab *Angelis*, è Galilææ fuiſſe regionibus in Illyricum (*ddd*): hodiéque *Laureti*, Picentûm in Italia regione, conquieſcere. *Simulacrum* ergo Virginis *ædiculæ*, non *ædiculam ipſam*, inſpexerint; qui, multîs pòſt annis, Galilæam obivêre: *Gumpenbergii Continuator* (*eee*), & *Rudolphus Suchénas*. (*fff*) Sic & vulgò, quibus chara capita fatô rapiuntur: cùm *corpore* ſe mortui conſolari jam non poſſint, *imagine* ſeſe ſpe-

Caput III.]

ſpeciéque ſubſtitutâ, paſcunt. Nam, quòd in aſſertionis ſuæ fidem ac fulcrum adducunt, etiam *Columnam* baſilicæ Nazarethanæ: cujus è regione, ſtans *Gabriel*, Mariam ſalutans, eidem prodigiosè ſuî formam & effigiem, in ſigilli morem, per reflexionem, impreſſerit; in decimum tertium uſque ſæculum relucentem: non me movet. *Quædam* enim *Somnia vigiliîs plauſibiliora* ſunt: & *Inania* ſubinde, *ſpecioſiora Verîs*. (ggg).

Tribus

A S E R Æ A.

SPATII *Terræ-Sanctæ* reſiduum, quod, à *Zabuloniæ Tribûs* finibus Aquilonaribus, ad Libanum, inter Jordanem, ac mare mediterraneum, jacet; ex æquo propemodum inter ſeſe *Tribus Aſeraa*, *Nephtalaáq;*, ſunt partitæ. Quarum *hæc* ad Ortum Solis; ad Occaſum *iſthæc*, receſſit. Prior harum, *Aſeraæ* ſit Regionis deſcriptio: quò poſt hanc, à *Nephtalæis* terris expeditiùs, ad *Tranſamnanas*, commeemus. ASERIS ergo ditionum, à Septen-

Caput III.

Septentrionibus in Auſtrum, & à Libano Jephtaëlem ad torrentem, *longitudo* porrigitur. *Latitudinis* autem intervallum, à mari Phœnicio, Nephtalæos ad fines, extenditur. *Campis* expanditur, herboſis, floridîs, & opimis: *Planitie*, præſertim, *Libani*; quæ, ſub montis illius radicibus, ad Auſtri plagam, procumbit: *campô* quoque *nominis ejuſdem* alio, quíque diverſus à priore planitie ſit, infra pedem *Libani* montis Occidentalē. *Campîs* item, ac *pratîs*, Maſphæîs, propiùs mare magnum porrigitur. *Sylvâ nemoribúsque*, Tyrum inter, ac *Sareptam* (quæ fertur, & nomen indè ſuum traxiſſe): *vinetîs* item, hinc indè, vernat. *Montium* majoris nominis, ac jugîs diſtinctorum, præcipui ſunt: *Libanus*, ad Boream: &, hujc in Occaſum hybernum præpanſus, *Antilibanus*; vinetîs lætus. *Alpes Tyriæ*: mónſque *Saron*; inter Tyrum ac Ptolemaidem, limite ferè mediô, per obliquum, ad Ortum hybernum exſpatians: ac *vinearum* ipſe quoque ferax, & frequens. *Montium* autem minorum, numerantur; *Hermon*: non ille, Gelboæis oppoſitus montibus; ſed *Syrophœniciam*, Auſtro tenus, adjacens, ad occiduum *Libani* pedem. Cuj, paullùm intermiſſô ſpatiô, *Baalgádus*, propiùs Antilibanum

Caput III.

banum(mons alius, ſaltuoſus)ſubjicitur. Ut taceam *juga* quædam continentis-interioris *Alpeſtria*; quorum verticibus *arces* impoſitæ *caſtelláq;* ſunt:qualia; *Mons-fortis,Caſtellũ Thorontum*,in umbilico propemodum *Aſeritidis* regionis;& caſtellum,quod *Indi* vocant: aliúdq; præterea,quod à *Bello-Forti*, poſteris tẽpeſtatibus, nomen accepit; *Eleutheri* fluminis lævam ſuper ripam conſtitutum. *Vallium* autem, haud alia facilè regionis *Aſeraæ*, fertilior ſimùl, & amœnior: quàm ea, quæ, longè ſuprà Ptolemaidem,in Ortum hybernum, per tranſverſum tendens; ſuæ Tribûs gerit nomen. *Flumina*, torrentéſque potiores,hi ſunt. Ad Aquilonẽ,*Eleutherus*;à monte terræ *Nephtalaæ* deſcendens: ac, *Tyrum* inter,& *Sidonem*, intervallô ferè mediô,*mare-magnum* irrumpens. Ad meridiei verò plagam,*Jephtaël*: *torrens* idem;ac Tribuum, Aſeris,atque Zabuloniæ, *limes* & terminus. Inter quem, & Montem-Fortem, *Belus* etiam amnis; ac mox,*rivus alius*, incomperti mihi nominis, ſed Ptolemaida petens; è montibus *terræ continentis*,in mare Phœnicium,deſcendunt. Quas verò *Maſſerephotaas* vocant *aquas*; eæ, ſupra *Sidonem*,ad Septentriones, paullùm à *mari magno*,foſſæ quædam

cam, ac manibus egeſti *lacus*,ſunt : quibus, exęſtuãtis Ponti *ſalſa* reſtagnationes exceptę; vel *Solibus* deinde,vel *rogîs*, arte ſuſcitatîs, in *Salẽ*,& humanos uſus,rediguntur.At,quod ad *Urbes* attinet *Aſeraa*,vel poſſeſſionis,vel *Sortis*,atq; juris:ad mare quidem, à Septentrione versùs Auſtrum pergentibus; prima,*Sidon* eſt obvia; *regum* olim,ſui nominis, & antiqua quidem,ſedes. Poſt eam,interpoſitâ *Sareptâ*, *Tyrus*; & ipſa *regia*: Sidoniorúmque potentiæ multùm antecellens. Tum *Aczība*, poſteris *Ecdippa* dicta: póſtque *Ptolemaidem*, aliquantò ſupra *Jephtaëlis* oſtium, quô mare ſubit,urbs,Levitis aſſignata,*Meſſala*. Continentis autem regionis *urbes*, præter alias,ab Auſtri tractu, *Bethemèca*, Vallis Aſcrææ: *Nebiel*, *Abdon*, *Cabul*,(non illa, *Terræ Chabùlaa*, ſeu *lutulenta*; quæ montes Tyrios, & Eleutherum flumen, interjacet: & cujus elementum litterarum primum *aſpiratur*) ſed alia, longiùs in ortum,ad Nephtalæos fines, remota. Præter has; *Abrama*, *Gábala*, *Roóba Levitica*, *Giſcala*; populoſa ſubinde, permunitáque, ſed *ſeditioſa*, civitas. *Cadeſſa* præterea, *Gadaráque*, cum *Achsápha*, regiâ quondam urbe. *Bethéna* quoque; quæ media jacet inter *Ammam*, ad Ortum ſitam; &

Helbam, ad Occaſum. Ad *Helbæ* Septentrionale latus, *Horma*, tránſque flumen Eleutherum, Libanum verſùs, haud procùl ripâ fluminis, *Cana, Galilæa-Gentium*, ſeu *Superioris*: quam, diſcriminis ergô, *Canam-Majorem* appellant: cùm *Cana* tamen *Minor*, & ipſa *Galilææ* ſit locus; ſed adhuc, ut nonnullis videtur, *Inferioris*. Superior autem, ſeu, quæ *Gentium* dicitur; terras potiſſimùm *Aſeris* ac *Nephtalæ* percurrit. Poſt *Canam* demum, *Alcátha*, ſupra montis *Antilibani* tractum, Ortum verſùs. At, inter *Antilibanum*, ac *Sareptam*, haud procùl marî, *Maára* cernitur; *Spelunca Sidoniorum*, ac *Tyri-Cavea*, nominata (quoniam inter utramque jacet urbem) *antrum*, urbe quavis inexpugnabilius; & ob hoc, cujuſvis *inſtar urbis*: Chriſtianorúmque poſtea municipium; militarî, contra barbaros, præſidiô firmatum. Ad *Libani* denique citeriores radices, ab Ortu pergentibus ad Occaſum; *Héthalon*, & *Chalis*, & *Enochæa*, ſc, veteres urbes, offerunt. Hæc ſuper *Urbium* recenſione *Tribûs Aſeræ*. Subnectamus nũc & *memorabiliorum* nonnulla. LIBANO ſubjectas *valles*, quà præſertim à Damaſco, mare Phœnicium verſùs, tenditur; fertiles inprímis meſſe, pomariorúmque divites, ac limpidîs

pidîs undîs ubertim irriguas; quin & vinetîs lætas: adhuc proximè-ſuperiore ſæculô, *Seydlizius*, nobilis Sileſius, memorat, *Libanum* ipſum, à *Damaſci* finibus, ad uſque mediterranei maris oras, excurrentem; amœnum eſſe: quin &, hac adhuc tempeſtate, *Cedris* veſtitum. *(hhh)* Quem tamen *montem*, è contrario, vehementer, infamatione ſuâ, *decalvat*; qui, ſeptemdecim circiter deinceps annîs interpoſitîs, poſt *Seydlizium*, Syriã pervagatus eſt, *Leonardus Rauchvvolfius*: cùm, in univerſo ſe Libanô *cedros*, memorat, haud plures *viginti quatuor*, numerâſſe ſuperſtites. Ac ne *novellas* quidem, in ſpem ſucceſſionis, uſquam reperiſſe. *(iii)* *Paſcuum* interim, ſi non verticem *Libani* (qui *nivoſus* univerſus eſt) at ambitum tamen eſſe montanum; ex eo clarum eſt: quòd numeroſos illic *greges*, in hunc uſque diem, aſſiduò, de noctibus etiam, *Turcæ* paſtores attinent; non ſuâ magìs curâ, quàm immaniũ è Moloſſia canum excubiîs, ac dentibus, adverſùm latrocinia cuſtoditos. Quorum *canum* tãta perhibetur eſſe ferocia (niſi magiſtri pecoris eam inhibeãt) ut illàc inviolatus, & incolumis, commeare ferè nemo poſſit. Obſiſtunt tamen laniaturis, agreſtes: *benevolen-*

tia potiùs humanæ legibus, quàm *Mahometanîs*: & hoc, pro viatorum, etiam *Chriſtiani* cultûs, Salute. Quod utique mirari poſſis: *Canes-Turcas*, pro *Chriſti* cultoribus (qui *Canes* illis ſunt) contra latratores Moloſſos, laborare. Sed, ut dixi, laborant: & eſt, qui, quod attuli, ſuíſmet ab experimentis, aſtruat, & confirmet. (*kkk*) *Eleutherus* amnis, terminus fuit expeditionis *Jonathæ Machabæi*, Demetrianos perſequentis: qui, fluviô, per dolum, ardentium in caſtris luminum, beneficióque noctis, trànsmiſsô; victricibus illius armis ſe ſubduxerunt. (*lll*) *Belus*, inter *Jephtaëlem* torrentem, ac *Rivum Ptolemaidis*, fluens: amnis, ſpatiô longitudinis permodicus, profunditate tamen inſidioſus; ſuî mediô vallem, & perlabitur, & implet, in ſtagni morem, *centum cubitorum* ſpatiô *rotundô* diffusîs, per gyrum, aquîs. *Cendevia* (de qua dictum) *paludi* nomen eſt: quæ *vitream*, ut Suchénas ait, *arenam*; ut autem alii, *vitri materiem*, arte conflatoris, ac lentîs ignibus, excoquendam, egerit. At, qui ſupra *Belum* fluviolum, itidem ex eodem, quo *Belus*, monte, devolutus *rivus*, Ptolemaidem, & mare magnum (ſicut ſuprà diximus) incurrit; admirabilî naturæ quadam impatientiâ, ripa-
rum

rum ſuarum alterutrâ parte, nec *ſerpentem* viperámve; nec *venenô* gravidum aliud, cujuſmodicunque generis, tolerat animal. projectáque *trans* undam *venenata*, quæ *cis* undam vixerant; momentô pòſt, in ulteriore margine, ſimillima rebus de cœlo tactis, exanimata jacent; ac rigent *(mmm)*. Ex *Urbibus*, Tyrus, ſatìs jam, in *Ruina Civium ſuorum* Decade tertiâ, deſcripta; memoriâ dignũ, ad ætatem uſque *Joannis, Solmenſis Comitis*, oſtentabat, inſertum parieti *baſilicæ Sepulcri-Sancti*, monimentũ, & *oſſa*, vetuſtiſſimi Palæſtinorum & Alexandriæ Doctòris, *Origenis* Adamantii. *Ptolemais* autem urbs, quæ, tam priſcìs, ante tẽpora regni Macedonici, quàm & poſteris Chriſtianorum ſæculis, *Acon* quoque fuit; *Ptolemæo* ſe debet, Ægyptio regi, tanquam alteri conditori. Fuit hæc *urbs* olim, *carcer* Jonathæ, Machabæi Ducis, à Ptolemaidenſibus perfidè capti. Deſcribi verò ſatìs, ac pro dignitate, nequit. Deſcripſit facundè; qui vivìs à teſtibus accepit, ac deſtructæ rudera contemplatus eſt, *Rudolphus Suchenſis*. Eam, *Chriſtianæ* poſtea poſſeſſionis factam, & *regibus* ac *reginìs* uno tempore compluribus habitatam; nobis tandem ademit; annô Sæculi decimitertii nonageſimô pri-

Caput III.

mô, ſexcentìs Saracenorum millibus armatorum ſuccinctus, *Saladinus Memphiticus*. Evaſtata tunc eſt, & concremata; plus *marmoris*, quàm *ſilicum* priùs, oſtentans urbs. trucidata, profligatáque, civium, ac militum, multa millia: cæſæ, demerſæque marî, *mulieres ingenuæ*, quàm plurimæ. Quò minùs in unam omnia *Ruinam* irent; *fuga* fecit: quæ, *virorum* ad centũ millia, navibus in *Cyprum* trajecta, ferro Mahometano ſubduxit. *Plures* autem *quingentîs matronîs*, ac *virginibus*, Regum Principúmque, partim conjugia, partim ſanguinem; vidiſſes tunc univerſas, cum auro, gemmìs, & muliebrî mundô, ſtantes in portu *Ptolemaidis*: omnî mortalium ope deſtitutas. Quin & audîſſes eas; cum lamentis, gazam univerſam, ac, præter hanc, *electiſſima* de ſuo cœtu *forma* conjugiũ, in naulum offerentes; ſiquis in *Cyprum* ſe tranſportaret. Sed diu tranſportavit nemo; tantô licèt pretiô propoſitô. donec, ad extremum, oris & habitûs ignoti nauta (credebatur *Angelus*, ex eventu) quas nemo *mercede* voluit; ipſe, ſuam compactas in navem, *gratìs*, unà cum opibus omnibus, tranſvexit. mox autem, ne fieri *dives*, néve *maritus*, ex pacto, cogeretur, evaneſcens; *cælo* ſe, *cælibíque* ſuæ *feli-*

felicitati, reſtituit. Quô tantô navarchô tunc uſæ *mulieres*; quantamcunque poſthæc fuerint in Cypro *fortunam* nactæ: beatiùs tamen, me judice, *navigârunt*; quàm *exſcenderunt*! (*nnn*).

Tribus

NEPHTALÆA.

GALILÆÆ *Superioris*, ſive *Gentium*, magnam habet partem; quam regionem tamen, etiam cum *Aſeræa* (velut ſuprà dictum eſt) communicat. Eadem autem, & *Ituræam* continet, *ciſamnanam*: & regiones, *Amathitidem*, ac *Paneadis*: ditionémque *Berimæam*, & *Arbellidem*; ac partem aliquam Dicæarchiæ *Decapoleos*. Terminis finitur; ab Ortu quidem, Jordane, ſtagnóque Meromæô: contra Solem autem Occiduum, *Tribûs Aſeræ* terrîs. Ad meridianam plagam, partim littore *maris Galilæi* Septentrionali; partim limitibus terræ *Zabuloniæ*. quà vergit autem in Boream; Parte jugorum, ac ſaltuū, *Libani*, *Damaſcenam Syriam* reſpicientis. *Fonte* ſuę terrę, fluvium orditur *Eléutherum*: fon-

tibus item diverſis aliis, *Jordanem*; alterô quidem, ex antro montis *Panii*, qui Libani fragmen eſt (aut veriùs, è fonte quodã alio, propter *rotunditatẽ* conchæ, crateriſve ſui, *Phialæ* nomen ſortitô :) ſed alterô, de jugo Libani montis alio, magìs ad Ortum, proſiliente. *Jordanes*, illic fluxum incipiens; ac, non adeò multa poſt ſtadia, duarum originum rivos conſocians: ut, in principiis, tenuî manat, ac nonnunquam (æſtatis præſertim adultioris mẽſibus) ſicciore, faciléq; pedibus ſuperabilî, vadô. *Celeriore* tamen, ac *limpidiore*, quàm uſquam alibi deinceps, aquarũ curſu fertur: ac poſt hæc, in Ortum aſcendens hybernũ, locô planô, nemoribúſq; peramœnîs circũpoſitô, *ſtagnum*, aut *efficit*, aut *implet*; aſpectu natatúq; jucundum. *(ooo) Rivus* autem ille, qui, flexu primùm, in arcûs morẽ, mox in cubiti modum & angulum, ſinuatô, *Meromæas* in *aquas*, uberrimô curſu laticum, effunditur; è fonte decurrit illo, cuj *Daphnidi* nomẽ eſt. Is *lauretô*, ſemper viridante, præcipuáq; nemoris amœnitate, cingitur: ad *Antiochenæ Daphnês*, quæ ſuburbanum illius urbis nemus eſt, nonnullam æmulationem. E *Sylvis* Nephtalææ poſſeſſionis, eminent, ante cæteras: *Libani*, quem dicunt, *Saltus*; Sylva *Paneadis*; ingenti quantum-

tumvis gregũ armentorúmq; paſcendę copię, ſuffectura: *quercetúmq;*, quod *Saananim*, olim urbẽ, incingebat; *Aroſétha-Gentium* (urbi, Siſaræ Ducis hæreditariæ) Solem Occidentem versùs, oppoſitũ. *Montium* regionis illius celeberrimus eſt; qui, ponè *mare Galilæum*, è regione ferè Bethſaidæ, ſitus ad Aquilonem; â *Chriſto* nomen tulit: frequenter illic, & ad DEUM, & ad populum, *orante*. Floribus hic, & herbîs, opertus; ac duorum teli jactuum longus; ob eminentem altitudinem, è ſummo ſuî vertice, latiſſimum circumquaque regionũ, etiam procùl diſtantium, aperit amphitheatrum. *Vallium* autem inſigniorum, ſunt: ea, quæ *Sennimæa* dicitur (cujus nos, in *Siſaræ Ruina*, de *Cinæis* illatâ narratione, meminimus): & ea, quæ, ſubjecta Libani radicibus, inter *Danem*, ac *Jorem*, Jordanis ſcaturigines, *Templum* poſtea *Cæſaris Auguſti*, gentibus oſtentavit Syriacis. Id erat è marmore Pario; ſumptibus *Herodis Aſcalonitæ*, per ſummam adulationem, adhuc vivo *mortalíque* Romanorum illi *D.EO*, ſacrilegîs honoribus, exſtructum, ac dedicatum. URBIUM porrò nominatiores, ſunt: ad mare quidem Galilæorum, *Capharnaum*. ad Aquas autem Meromæas, *Aroſétha Gentium*, Supra quam, in Ortum,

Caput III.

tum, ab ſtadiis aliquot, *Pons* eſt, ripis Jordanis impoſitus, ſaxeis pilis, ac fornice: Jacobi Patriarchæ, (ſicut ferunt) in Meſopotamiam fugâ tranſitûque memorandus. In interiore verò *Nephtalæorum* terrâ, præſignes ſunt; *Cedeſſa*, cognomentô *Nephtalæa*: regia quondam urbs, ac vertici montis impoſita: *Sephéta* (cui vicinus, ad Occidentem, *Melcha* Lacus eſt,) *Nephtalíma*, *Náaſon*; urbes, Tobiæ libro memoratæ. *Rebláthа* præterea, quam *Daphnidis* rivus prælabitur: urbs, *Sedechiæ*, regis Judæi, calamitate, luminum effoſſione, liberorúmq; cæde, funeſta famosáque. *Panéas* item, *Dan* antiquitus, poſtea verò, *Cæſaréa*, cognomentô *Philippi*, dicta; quò diſtingueretur ab illa quadã alia, nominis ejuſdem, urbe *Palæſtinæ maritimâ*: cùm iſta, contrà, ſupra duorum Jordanis fontium *confluentes*, in *continenti* ſita ſit. Tum *Emátha*, regum olim Sedes (ut & *Aſor*): *Ceneréthum*; à Benadádo, Syriæ Damaſcenæ rege, quondam captum: item, *Aráma*, *Béthſemes*; &, mediô ferè terrarum Nephtalæi juris, *Arbella*, cum *Speluncis* ſuis; quæ pavidorum, & hoſtem, in tergis hærentem, fugientium, in promptu poſita latibula ſunt. Circùm *Arbella*, florebat & *Maſalótha*; Bacchidis,

chidis, *Machabæorum* tempore, ſpolium, ac, civiũ jugulatione, carnificina. *Carthan* itẽ, & *Abelmaimũ*, & *Magdiel*, & *Galgala* Nephthalæa, cæteræq;: quas enumerare, quàm longũ, tam & jejunum eſſet, ac ſterile. MEROMÆUM ſtagnum: quod, nivalibus impletum undîs, ac Jordane, medium perrumpente; ſtadiorum triginta *latitudinem*, alterô verò tantô productiorem *longitudinem*, obtinet: quoties, æſtivîs caloribus, in ſiccum, pulverulentúmque, fundum, maximâ ſui parte, redigitur: in ſylveſtres plantas, & arbuſculas, excreſcens; magìs identidem magíſque ſylveſcit. Unde, *feris* quidem, omnium generum frondes, in umbram atque latibula; *feras* autem ipſas, magnatibus Terræ Chananææ, venantibus, in prædam oblectamentúmque præbet. CAPHARNAUM (ne nihil hujc urbi, *Nephtalæarum* celebratiſſimæ, cenſorii pollicis imprimamus) *Chriſti* domiciliô temporariô, doctrinâ Religionis cœleſtî, prodigiîſque diviniſſimîs, honorata; *ſuperbè* tamen, inter hæc omnia, contumax, ac tumens: *numquid ad uſque nubes elevata*, cœlo caput altum inſeruit? Id, quod, ſuum ei faſtum exprobrãte *Chriſtô*, tũc ſibi factura videbatur, cùm eum, de Divinis diſſerentem rebus, faſti-

dicns

Caput III.

diens audiret. Numquid inter *Sidera* poſuit, cum *Lucifero*, Solium ſuum? Nihil minùs! Quantùm enim ad *Animas* ſpectat incredulorum illius urbis incolarum; *ad Inferos uſque, Gehennæq́ barathrum*: quantum autem ad *civium tectorúmque* frequentiam; ad penitiſſimam hodie *vaſtitatem*, & excidium, *deſcendit*. Erravi tamen, cùm, *penitiſſimè* vaſtatam urbem Capharnaum, dixi. Nam, ſicuti numerare reliquias placet: adhuc *ſeptem ferè caſulas* retinet *piſcatorias* (*ppp*); & *unicum* (*qqq*), infirmè ſuperſtes, *laquear*, ruinæ minax. *In hoc* videlicet *Nihilum*, *faſtus evaneſcit omnis!*

Tribus

MANASSÆA,

trans Jordanem.

QUantùm per *barbaras* licuit gentes, quæ *trans Jordanem* ſparſim, ac, pro temporum diverſâ conditione, nunc quidem latiùs, aliàs autem contractiùs, dominatæ ſunt: ad MANASSÆÆ *Tribûs dimidium alterum*, jure ſortis, ac *funiculi-diviſoris*,

ris, pertinuit, regionum ille tractus; qui,de *Libani* pede,versùs Ortum deſinente, Jordaníſque fonte lævô figurâ propemodum ſpeciéque *ſinuati* cujuſpiam *arcûs*, aut laquearis, per acclive ſcandit, à Septentrionis plagis, ad Orientem: ac deinceps in Auſtrum procurrit; ſpatiis, *longitudini* multùm indulgentibus, ſed *latitudine*, plurimùm caſtigatâ. Terminatur, ad Occaſum, *Jordane*, quem *Minorem* dicunt; ac *maris Galilæi* littoribus, Arabiam ſpectantibus: Ab Ortu verò, montium Saniriorum, & Galaaditicorum, perpetuô pæne, continentíque, dorsô. Septentrionum tenus, Syriâ Damaſcenâ, partéque Cœle-Syriæ: meridiem autem versùs, *Jabóco* ferè torrente, concluditur. In hujus Tribûs Terrâ, Regnum olim erat *Baſanæum*: &, ante *Basanæos*, ad Occaſum æſtivum, *Trachonitis*: ac, poſt Baſanæos, ad Auſtralem oram, *Terra-Gigantum*. Alia verò plura, minorum gentium, Regna,Regionésq;, paſſim interjacebant. de quibus, cùm dictum Capite præcedente ſit; hoc locô ſi rurſum dicamus, actum egerimus. *Torrentes* habet (ſeu quis *amnes minores* appellare malit) uti ſuperiùs eſt expoſitum; *Hierómacen*: & *alium* quendam, qui de *Gamalitica* regione deſcendit

Caput III.

dit in Lacum Geneſaræum. *Fons*, ad Euroaquilonis plagam, in Trachonitide, ſub Sánire monte, Boſram inter, & Aſtarótham urbem, ebullit; *Phialæ* nomine: rotundæ crepidinis; ingentis capacitatis; undarum uberrimus; profunditate fundi, núllidum deprehenſâ. Quod mirum ſit: etſi perpetuum illius vena laticem, nullâ quiete fluxûs, affundat: nunquam is tamen extra margines, *vel ad guttam* unam, effunditur; ſed, intrà ſe receptîs, quas accipit, aquîs, ſeipſum, avaritiâ prodigioſâ, ſorbet. Et hunc *Philippus*, Herodis Magni filius, regionis illius *Tetrarcha*, deprehendere ſibi (fortaſſéque, nullâ vanitate) viſus eſt, *verum* ac *genuinum* eſſe *Jordanis* fontem: paleîs in *Phialam* ſparsîs; quæ pòſt, in ſummo fontis *Danû*, per occultos ſub terrâ meatus, enatârunt. (*rrr*) *Medánem* itaque, quaſi *Danû-Aquam*, Arabes, linguæ ſuæ more, *Phialam* hanc appellant. Cæterùm *urbes*, memoratu digniores, à fontibus *Jordanis*, per ordinem, ad *Jabócum* uſque torrentem, hæ ferè ſunt. *Auran*, unde regioni ſuæ nomen: *Abéle*; *Machâta*, quæ regionem & ipſa ſuam à ſe nominat: *Gerſon*, *Arama*, *Seleucía*, ſecundùm ripas *Samachonitæ* lacûs, hoc eſt, *Aquarum Meromæarum*.

Præter has, *Geſsúra*, regum ſedes, ac regionis ſuæ caput: *Namátha*, nonnuminis *Amicorum Jobi* patria, Regiáve: *Pharanx Antiochi*; ſic, quòd in *valle* ſita ſit, ab auctore ſuo nominata: *Boſra*, Saniræi montis ad radices poſita; *Trachonitidis* regionis urbs princeps. *Argóba*; quæ ſuũ & ipſa regioni toti nomen communicat: *Suéta*, Baldádo *Suitæ*, Jobi collocutori, regnata quondam; ſuper *Jordanis* ulteriorem ripam, haud ità procùl amne, ſita. *Theman* item, urbs *regum antiquorum*. quam inter, ac Suetam, *Sepulcrum* eſt *Patientiæ Jobi*; pyramide ſaxeâ, præſentem in diem uſque, notatum: &, quòd indè diſtingui cæteris à monimentis haud ægrè queat, Græcis, ac barbaris, in magna veneratione. Super *Themánem*, Eliphazi Jobitæ patriam, & *Huſſæ* terræ planitiem; *Aſtarótha* ſurgebat, urbs regia, Solem Orientem versùs: *Gigantum* olim, & *Ogi* poſtea, de genere Gigantéo, regis Sedes. Ad latus autem *Aſtarótha* meridianum; *Gaulon*, urbs Levitarum, ac *regionis Gaulonitidis* caput. Cæterùm, ad Auſtrum ulteriùs, *alia* ſequebatur, ejuſdem cum priore nominis, ſed inferioris dignitatis, *Aſtarotha* gemina; caſtellum, & arx. Poſt has deinceps, *Edráis*; regalis olim & ipſa Sedes

Ogi, Baſanæi regis; ejuſdémque ſupremâ, cum ſuis omnibus, clade funeréq;, commiſsô pro portis ac finibus urbis, adversùm Iſraëlitas & Moſen, prælió, poſteritatis memoriæ tranſmiſſa. Rivô tantùm interpoſitô, *Gámala*, versùs Auſtrum, ſequitur: urbs, & arx, ad *Cameli* (ſicut alibi quoque tradimus) *gibboſam* effigiem. Indè, nonnihilò magìs ad meridianam cœli plagam, ſub ipſo, ſui nominis, monte, turres attollens, ac mœnia ſua, *Galaáda*; quæ, ſicut & *Gámala*, regioni ſibi ſubjectæ, nomen, de nomine ſuo, tribuit: *patrium* pariter, ac *ſepulcrale*, Jephtæ, Ducis & Judicis Iſraëlitici, *ſolum*. Quibus *Engannam* adde; pæne mediam, inter Galaádam, ac Galilæum mare: Trans flumen autem, *Hieromacen*, haud ità procùl ab ipſius fonte, *Pellam*: Chriſtianorum deinceps exulum, ſupremô Jeroſolymorum excidiô, receptaculum, & Aſylum. Poſt hanc, ad Occiduum Solem, *Jabeſſa Galaaditica*; Saulis Ruinâ memorata. Poſt Jabeſſam, *Gádara*, potens virìs, armìs, ac ſubjectis ſibi municipiîs, urbs; cum thermis ſuis, ſecundùm quas, & *Lacus* ſitus eſt, *Gadarenus*: qui deguſtatus, pecora dépilat: & ungulìs atque cornibus exarmat. Tum, *Hippos* urbs, infra Gadaram; pro-

propior *mari*, ſed diſcors *religioni*, Galilæorum: quippe, Grǽcæ profanæq; ſuperſtitionis. Longiùs autem in Auſtrum, & haud procul *Jabóci* ripis, circumquaque ſepta montibus, urbs *Ephron*: viginti quinque millium virorum cæde, cruoréque, Machabæorum poſtea temporibus, ſubluta. (*sss*) Maritimum denique *Galilæi Lacûs*, ad Ortum, littus, aut *inſidēt, aut contingunt*, urbes aliæ: *Corozaimum* (quam nonnulli patriam fore credunt *Antichriſti*) Capharnai mœnibus, ad Orientem, margine diversô maris, oppoſitū. *Julias* deinde; ſtadiîs haud ità multîs interpoſitîs, ad Auſtrum urbs: ſic, honoribus Auguſti-filiæ, *Juliæ*, nuncupata; *nominis* ejus, *transmarinis* ſaltem in terris, *illuſtrandi* ſtudiô: quod ipſa *Romæ* tunc, ſtuprîs ſuîs, fornicúmque *fuliginoſis noctibus*, turpiter *obſcurabat*. Conditor urbis ejus, *Philippus*, Herodis filius: qui locum illum, *vicum* priùs, in *urbis* vires, ac ſplendorem, evexit. Non eſt autem hoc locô prætereunda *Géraſa*, profani ritûs mortalium urbs; munitionibus olim, ac montis, quem inſidebat, altitudine, valens inprímis, & opulens: ac ne *multitudinis* quidem *porcorum* egens; quorum ingentem gregem, per declivia mōtis, quà *Galilæum* in mare procurrit, condu-

cti mercede, *ſubulci* paſcebant. Eorum, *ad duo millia*, *permiſſu* Chriſti, concitantibus geniis inferis, abiêre *per præceps, in mare*: *ſuffocatique*, prævió tot agminum morientium grunnitu, fremitûs expreſſerunt imaginem, eorum; qui nunc, *porcinis* viventes *moribus*, ac *ſubantes*, ab obitu nataturi ſunt, *cum ſtridore dentium*, ac rabie faucium, *in ſtagno*, *quod igne flagrat*, ac *ſulphure*. (*ttt*) Pròh, quale *Suum-Lavacrum*! Tantum eſt, de regionibus *Manaſſææ Tribûs-ultra*-Jordanem: quod *percurrendum* occurreret. nam, *immorari*, non vacabat; ad Gadæas Rubenitarúmq; *properanti* terras.

Tribus

GADÆA.

GADITARUM ſortis regiones, ac terræ, quà Septentrionum tenus incipiunt, latiores ſunt, ad ſui ferè dimidium; quô, torrente quodam, nominis experte, per tranſverſum ſecantur, ab Ortu Solis, Jordanem, & Occidentem, versùs. Quæ deinde ſequuntur, *Arnônem* inter, ac *Jordanem*, amnes

Caput III.

amnes,loca; quantò magìs ad Auſtrum progrediuntur,tantô contractius in ſpatium coëunt. A Borea,terminus *Gaditarũ* eſt,partim *Jabocus* torrens;partim ejus vicinia. Meridianus autẽ limes,hinc quidem,inter Aroërem ac Dibonem,urbes Gadæas; illinc autem, inter *Heſebônem*, & *Helónem*, loca Rubenitarũ, deſcendit. Ab Oriente , partim montibus Galaaditicìs, partim Arnonis ripìs; ab Occaſu verò,Jordane, diſcluduntur à finitimis ſibi populis. Habet hæc Tribus , *Peræam Regionem*: de qua *Decas quarta* pluſculum tradit.unde nunc, preſsô reſtrictóque deſcriptionis progreſſu, lectorem, talium avidum,eò differimus. Hujus etiam ejuſdem *Tribûs*, pars eſt Regionis, quam *Galaaditidem* nominamus. Namque terram univerſam, quæ, *Galaádo* ſubjecta monti, *Galaaditidis* appellatione cenſebatur ; inter Tribus, Manaſſæam tranſamnanam,& Gadæam, ex æquo ſic partitus eſt Moſes ; ut illius utrique dimidium, æquali dimẽſione, jam olim aſſignaret.*(uuu)* Cæterùm, cùm crebrìs hæc terra *collibus*, ac *montibus*, inſurgat : *montium* omnium, trans Jordanem , editiſſimum attollit *Galaádum*: quinquaginta ferè milliarium *longitudine* , connexìs Alpium inter ſe jugìs, ac ſaltibus ;

Caput III.

à Septentrionibus, in Auſtrum, & ad *Arnonis* uſque torrentis principium, excurrentem. Is *fertilis* univerſim *mons* eſt: nec graminis tantùm, & herbarum omnis generis, ubertate *paſcuus* (gregibus præſertim *caprinis*) ſed *aromatum* quoque diverſorum, ac reſinæ medicæ, paſſim feraciſſimus. *Urbium* haud paucæ, vel potentiæ magnæ, vel antiquitatis ſaltem, commendationem habentes: iſtæ ferè numerabantur, à Septentrionis oris, ad Meridiem eundo. Princeps earum, *Rabba*, vel *Rabbátha*; poſtea *Philadelphía* nominata: *Jabóci* torrentis alluitur origine, mœnia circumfluente; firmiſſimíſque quondam ſepta propugnaculis erat. *Civitas Aquarum*, ob uberem illic *Jaboci* fontem, ac rivum, dicta; ſedes quondam *obſcæniſſimorum* Orientis *Gigantum*: pòſt, *Ammonitarum* Regum, fuit. Indè, pulsîs illîs, *Ogi* (*Baſanæi* regis, ac *gentium illarum Polyphemi*) Regia cœpit eſſe. Cujus etiam regis, in hac eádem Rabbâ, *lectus*, multîs pòſt ſeculîs, exhibebatur; quatuor cubitos *latus*, novem *longus*: & illi tamen *Giganti* (ſi præſertim vera, de *corporis* ejus monſtroſâ magnitudine, *Rabbini* narrarent) inter curas præſertim bellicas, & æſtivarum in Oriente noctium calores, ſæpe fortaſſe

Lectu-

Lectulus tantùm, & *Anguſtiæ.* Sequitur *Rabbam*, ad Auſtrum, *Maſpha*: de qua mox inferiùs, quod in rem fuerit, adnectam. Ad radicem *Galaádi* montis, ſupra Maſpham, *Dathemána*, caſtellum erat; *Judæ Machabæi* poſtea glorioſâ, contra barbaros, acie victoriáque nobilitatum. Infrà *Dathemánam*, ac montes Galaadæos, propiùs Occaſum, *Ramótha Galaaditarum*; Levitica quidē illa, pro perfugis, urbs: ſed profaniſſimi regum *Achabi* cęde funeréque, propter Divinam expletam ultionem, longè clariùs nobilitata. Præterea, jacebat infrà Ramotham, multîs à ſtadiis, in Occaſum, *Phanuel* urbs: &, infra Phanuelem, *Socótha*; notæ jam, ex *Abimelechi Ruina*, munitiones, & oppida. Supra *Phanuëlem*, in Ortum hybernum, *Saltus* ſtabat, & campus, *Ephraimæus*: in quo, commiſsô cum Davidicis præliô, ſceleſtus *Abſalom*, inter Coelum ac Terram, ità pependit è quercu, fugiens: ut nec inventâ *terrâ* (quam cupidine dominationis ambierat) neq; *cælô* (quod nunquā fortaſſe quæſierat); *Gehennam* tantùm, &, pro cadavere, congeriem *ſaxorum*, ſortiretur. Ibi *Joabi Gladius*, pro *Davidis* aſſerenda majeſtate ſtrictus, *viginti* rebellium *millia*, ſtrage miſerandâ, delevit. cæterum autem exercitum,

Caput III.

tum, fuga ſuperſtitum, ac *ferarum*, in ſaltu, *rabies*, abſtulerunt. (*xxx*) Ad ultimas, in Auſtrum, *montis Galaadi* rupes; ſub ipſum earum pedem, Occaſui Solis oppoſitum: *Arnon* urbs eſt; *Idolorum* olim, *in excelſis ſuis*, & *cultrix*, & *oſtentatrix*. Infra quam, ad eandem Occidentis plagam, urbs *Baraſa*; cujus quòndam, vi captæ, *Judas Machabæus*, pubertatem omnem ferrô; mœnia verò tectáque, flammîs, delevit. Non procul item urbe Barasâ, tantò memorabilior, cive ſuo, quantò ſerie ſitûs inferior, *Thesba*; vatis *Eliæ* genitrix, ac nutrix, quem proinde, liquet, *Gaditam*, ac *tranſamnanum*, fuiſſe; regum Iſraëlis ſceleſtiſſimorum iniquiſſimîs temporibus, verè *Roſam inter ſpinas*, ac *lilium inter paliúros*, exortum! Sequuntur, *trans-Rivum*, quem dixi, certo nomine deſtitutum, ad Auſtrum urbes: *Béthara*; quam, Madianitas olim inſequens, ex itinere *Gedeon*, nihil tale metuentem, oppreſſit: ſupráq; Betharam, ponè Jordanis ripam, *Betharamphtha* quondam, poſtea *Julias*, ab *Herode*, cuj cognomentum *Antipæ*, dicta; *quatuordecim*, ſub ſe, *vicorum* regnatrix. Quos inter Vicos, etiā *Veteʒóbram* fuiſſe, reor: illius *Mariæ* natale ſolum; quæ, ſub Jeroſolymorum

Caput III.

rum ſupremum obſidium, ſuúmmet filium jugulavit, coxit, & abſumpſit. Hujc porrò *Juliadi*, quam diximus, ad ortum Solis, itidem ad amnem, non *Jordanem*, ſed *Arnonem*, exadverſum oppoſita *Jazer* eſt; Ammorrhææ quondam, poſtea Leviticæ, poſſeſſionis, urbs. cuj circumjectus ager, inprimis herbidus, ac pecori bonus, eſſe ferebatur. Eam, propiùs Auſtrum, ſecundùm eundem amnem, *Aroëra* ſequitur: in *valle* ſita. cujus mœnia (ſicut, poſt Divum *Hieronymum*, Adrichomius memorat) nocturnâ, poſt *Apoſtatæ Juliani* mortem, terræ concuſſione repentè collapſa ſunt. Hanc inter, & *Jázerem*, ſtagnum, aquarúmve colluvies ſpatioſa, jacet: quam, alibi jam dixi, *mare-Jazereum* vulgò nominari. Reſtant, Occidentem versùs, *Dibon*, ac *Dabir*, urbes: quarum, *Dibon*, in ipſis *Gaditarum* limitibus meridianîs, impoſita montano vertici; vivîs circùm, ac limpidîs aquarum ſcatebrîs, & ad potum alluitur, & ad paſtum atq; fruges. Et hæ potiſſimæ, quas recenſui, *Gaditarum* ſunt, aut fuêre quondam, *Urbes*. Vix ulla tamen ad poſteritatis memoriam æquè clara; quàm *Maſpha* Gaditarum illa, cujus jam ſuprà cœpi meminiſſe: cum ſuis, quibus ſubjacet, *monti-*

bus. Ea namque, *Jephta*, fortiſſimi,quà *Ducis*, quà *Judicis*, prętoria fuit ſedes, ac tribunal. Immò *filiæ* quoque,(cujus caput ignorantis, ignorans & ipſe, per imprudentiam, triumphali gladio ſuo victimã devoverat), non tam *Patria*, quàm, vel *Ara*, vel *Carnificina*. Notiſſimæ Tragœdiæ,decantatiſſimæque, res hæc eſt: ideóque pluribus non inculcanda. *Filia* tamen, Iniquitatem illam, *ſacrilegii* fortaſſe veriùs, quam *voti*; confeſtim, ac ne murmure quidem tenuiſſimô reluctans, acceptavit: pulcrum *magis* (quod quædam *ætatis noſtra Pallas* ſcripſit) ac *Virgini decorũ, ducens*; *Silendo* talia *mirari: quàm*, ſciſcitandîs cauſsîs, *admirationẽ excitare*.(yyy) Satis habuit; *bimeſtrî*, per juga vicinorum montium, *fletu, deplorare Virginitatem ſuam:* hac moriendi neceſſitate, nullius unquam proſapiæ ſanguinem, ac poſteros, aucturam. Poſt largè datas calamitati ſuæ *lacrymas*; largiorem deniq; patri, porrectâ cervice, *cruorem* dedit. Quem, ex tam *inſonte ſimplicéq;* collo, pæne mirandum eſt, non *lacteum* erupiſſe.

✻(*)✻

Caput III. Tribus

Tribus

RUBENITARUM.

QUEMADMODUM *Gadæa Tribus*, Terræ *Galaaditidis* habebat partem, ſibi deſignatione Moſis attributam; cùm partem alteram *Manaſſæi* poſſiderent: ità *Peræa regionis* dimidium alterum, à *Gaditis* ſibi relinqui juſſum, obtinebant *Rubenitæ.* Spectabat autem ad hos eoſdem, *Moabitarum* etiam, ac *Madianitarum*, pars ditionum terrarúmque, non modica. Ducebat enim *Rubenitica* ſortis funiculus initium, Septentrionum tenus, à dimidiô ferè *Peræa*, trans *Heſebônem* (ut dictum eſt) & *Helónem*. ad Meridiem autem, in *vallem* ſe *Zarethi* torrētis conſumebat. Ad Ortum, Arnonis aliquouſque ripis, & Ammonitarum regionis parte, ſolitudinéq; *Cademothæâ*, necnon *Deſertô Deblathæô*: contra Solem autē Occidentem, *Jordane* flumine, partéq; *Vallis-regiæ*, dimidiique *maris-mortui* littore, coërcebatur. Quare, propemodum ad fines uſq; *Petræ-Deſerti*, Rubenitarum ſe, *jus* ſaltem, ſi non & *poſſeſſio* ſemper, extendebat: intráque viſcera ſua, *Moabitæ*,

abitas, ac *Madianitas*, ut modò dixi, continebat. *Vallibus* porrò (niſi, quà *Campeſtria* ſe *Moabitarum loca*, Phógorem inter, ac Jordanem, expandebant) crebrîs hæc terra diſtinguitur. Eas creberrimi *montes* efficiunt, quorum, *Abarimæi*, capita ſunt. Eorum in receſſu, ſcrutaturis abſtruſô devióque, *Jeremias Propheta*, captîs incensíſque Chaldæorum barbarie Jeroſolymîs, *ſacrum* ac vigilem ſemper *Ignem*, & *aram*, recondidiſſe, cum *Arca Sacroſanctâ*, *tabernaculóque*, traditur. Pars montium iſtorum (nam *unum* eſt *Abarimi* quidem nomen; ſed juga dorsáque *multa*) celſior editiórque, *Nebo*; ſummus autem omnium vertex, *Phaſga*, dicitur. In eo vertice ſtans, morti proximus, *Moſes*; commonſtrante ſibi remotiſſima quæque DEÔ, *Chanaanitidem* intuitus eſt univerſam, ab Ægypti principiis, ad Libanum uſque, Syriæque fines, *mediterranei* quoque *maris*, quà Philiſthæis ac Phœniciis incumbit littoribus, ingens ad Occaſum contemplatus eſt æquor. *Vidit*, ad incendium deſiderii: *viſa* verò loca, non eſt ingreſſus; ad piaculum culpæ. Poſt *Phaſgam*, & *Nebonem*, *Phogor* eſt, ad Boream; mons alius, altitudinis immenſæ: de cujus vertice, *Balaámus* hariolus, à *Baláco*, rege Moa-

Moabitâ, juſſus malè *dicere*, pejúſque *facere*, caſtris Iſraëliticis, in valle planitiéq; ſubjectâ diffuſis; alia potiùs omnia, vi coactus altiore, *dixit* ac *fecit*. Piſcinæ prætereà, *ſtagnáque*, ſed mediocria, non ibi ſunt infrequentia. Ne *thermæ* quidem, medicíque *Fontes*, ac venæ, deſunt. Urbium autem, divinis è libris, *celebritas* eſt, quàm *frequentia*, major. Regionis caput, *Heſebon*; montibus impoſita, *muríſq; laterculi coctilis* incincta: regia quondam Amorrhæorum tyranni, *Seónis*, arx, ac Sedes. Ad ejus pomœria, *piſcinæ* ſunt; ab illimibus undis, ac puriſſimo nitore, Salomoni commendatæ. quibus quoties, ſerenô die, plenùs, innubíſque, Solis ſplendor illapſus, immergeretur: haud inconvenienter eas quiſpiam, erudito quodam ac pio cum Scriptore (zzz), *mundi* quoſdam *oculos*, *cœlique Specula*, dixiſſet. Super *Heſebónem*, in Orientem æſtivum, *Miſor* erat; urbs campeſtris: & *Ogo* quondam, Baſanæo regi, poſſeſſa. Sub Heſebone, Jordanem versùs, *Eléala*, ſunt, & *Helon*, urbes: quarum, *Eleala*, vitifera cumprimis, ac ſoli feracis, fuit. Fertilior eádem erat, *Sábama*; quæ, proximè montes Heſebonis, & ipſa, *vineis* ſuccincta, bonitate ſoli gloriabatur; & eádem *vini* fertilitate ſuburbana vide-

videbat ſua,locupletia. Multò ſupra *Sábamã*, Orientem Arnonémq; versùs, *Médaba*(quam & *Madebam* vocant) ſurgebat, apertô campô: niſi, quatenus eam, ab aliquanto ſitûs intervallo, colles, ac loca paluſtria ſaltuosáque, minùs acceſſu facilem hoſti reddebant. Ad hanc urbem,interfectum, *Jambrais* à barbaris, germanum ſuum, *Joannem*, ultus eſt *Jonathas*, Dux *Machabæus*; diſturbatione nuptiarũ, ac fugâ ſponſæ Medabææ; cæde ſponſi, comitúmque ſponſi; diſſipatione denique cæterorum; ac tranſmutatione lætitiæ *Genialis*, in luctum lacrymáſque *Libitinæ*. (*Aaaa*) Longiùs ab *Eléale* tractu, meridiem versùs, mediô Jordanem inter & Arnonem ſitu, *Bamoth-báala*, ſubjecta monti; fanum oſtentabat *Báalis*, vertici montis impoſitum. mox, inter *Bamothbáalem*, ac *Phogorem*, de quo dictum eſt, montem, *Béthphogor* urbs; delubrum & ipſa, ſed Numinis Idolíque longè fœdioris, aperiebat. nam *Beelphégorem*, hoc eſt, *Priapum*, aris impoſitum,proſtituebat adorandum. Supra *Bethphogorem*,ad Arnonem,& Ortum, *Mephâta*; quam & *Maſpham* appellant alii: cujus, à barbaris inſeſſæ, vi deinde captæ, maſculam ætatem omnem ferrô, tectáque flammîs,extinxit

tinxit *Judas Machabæus*. Mephátæ reſpondet è regione, non ad *Arnonem*, ſed *Jordanem*, locus, *Sarthan* dictus: Iſraëlitarum, per Jordanis alveum ſiccô veſtigiô tranſeuntium, monimentô nobilis. Ante *Sarthánem* autem, ad latus Orientis æſtivi, locus eſt; è quo vates *Elias* in Paradiſum, ſibi *notum*, nobis *inexploratum*, bigîs & equîs igneîs, eſt evectus. Mox, ad meridiem tractûs illius, urbs *Abila*; Campeſtrium Moabitidis urbium una: cujus ager, & oræ circumjectæ, *palmiferorum* ſunt *nemorum* ambitu lætæ coronatæque. Poſt *Abilam*, ac *Sarthánem*, ſuper ipſam Jordanis ripam, eſt *Bethábara*; vulgatis Evangeliorum codicibus Latinis *Bethania* (ſed *tranſamnana*): quo loco cùm *Joannes*, *Chriſti præcurſor*, baptiſmô ſuô tingere confluentem turbam ſit ſolitus; poſterîs etiam Chriſtianorum ſæculîs gaudebant, qui nondum, adultîs etiam annîs, expiati fuiſſent, *neophyti*, ſalutarî lavacrô tingi: non *pleniore* quidem, quantum ad vim myſterii, *fructu*; ſed *ardentiore* tamen mentium, illic ablutarum, *affectu*. Sequitur Bethabaram, *Livias*; & ipſa Jordanis ad crepidinem: urbs, *Liviæ* quondam *Auguſtæ*, Cæſarum uxoris, matris, aviæ, gratis honoribus, Herodíſque ſumptibus, exſtructa.

ſtructa. Supra *Liviadem*, ad Ortum, *Boſor*; & ipſa *Campeſtris-Moabitidis*, ac *Perfugarum*, urbs. A qua, paucîs interpoſitîs ſtadiîs, in Orientem hybernum, *Vallis* abeſt, nomine *Baaras*: in qua, Flavii Joſephi fide, *(bbbb) radix*, valli cognominis, enaſcitur: quæ non modò *noctu*, ſplendorem *ignis* imitata, *tenebras* abigit; ſed & *interdiu* corporibus, furore Sathanicô cruciatîs, *tenebriones* Acheronticos expellit. Ad latus *Baara-vallis* meridianum, obliquô ſitu, *Macherus*, ac *Laſa*, jacent, urbes. illa, dextrô; *Laſa*, ſiniſtrô tractu; ſed tamen ferè paribus útraque ſpatiîs, ab *Aſphaltico* remota *Lacu*. Poſt quas, ulteriùs in Auſtrum, interpoſitô fluminis Arnonis, in Aſphaltiten, decurſu; *Save* ſtabat, vetus, & *Gigantum* habitata *reliquiis*, urbs, cum *Valle* ſui nominis. Ultra *Saven* autem, propiùs Orientem, *Madian*, & urbs, & regio; patria, nutríxque, puellarum, ac proſtibulorum illorum: quæ, de Balaâmi conſilio, per choros, & agmina, torrentem Arnonem, ac deinceps in *Settimaa*, tranſgreſſæ, loca nemoroſa; corpora ſua caſtris vulgârunt Iſraëliticis, &, cum *Veneris* uſu, *Priapi* pariter cultum, Hebræorū intemperanti nequitiæ perſuaſerunt: *ſuô* non minore, quàm *amatorum*, interitu.

Claudit

Claudit, velut obice poſitô, *Rubenitarum* terras, ultimus ad Auſtrum limes, *Zaréthus* torrens: de quo *Ruina* memorabit *Iſraëliticorum Regum.* ultra quem, *Petra*, quam vocant, *Deſerti;* Moabiticarum olim caput, & arx, urbium: montanô loci ſitu, manúque perfectìs operibus, valida. Quin éadem, *Regia* tandem & *Arabum* fuit, illius tractûs; nataléque *Ruthæ Moabitidis*, ut ferunt, ſolum. Hæc, ſuper *Urbibus* hucuſque *Rubenitarum*. Inter quas, relibatu dignæ, *Macherus*, & *Laſa*, ſunt. Harum poſterior, *Callirrhoë* quoque Grçcis appellata: *fontium*, ac *thermarum*, habet, non ſolum fluxum, uſu ſpectatúque jucundum, ac pulcrum; ſed planè miracula, non uniuſmodi. quorum iſtud non infimum; quòd ſuper *petram* illius loci, *geminæ* velut *mammæ*, naturâ lapideæ, ſpatiô diſtantes modicô, laticem diverſi tum ſaporis, tum contactûs, ejaculantur: altera quidem, ferventem, ac prædulcem; altera, gelidiſſimum, acerbúmq; guſtatu. *Macheruntis* autem, quæ, *Laſam* inter, & *Jordanis* oſtium, *Mortui maris* littoribus imminet: *rupes* eſt prælta; quaquaverſum præceps, & abrupta: vallium, quibus cingitur, profunditate depreſſiſſimâ, deſpectantibúsq; formidandâ. Suprema ru-

pis, caſtellum; &,in caſtelli medio, *regia* ſpatioſa, nulliſque bellicis opibus expugnabilis, occupabat. Declivia verò rupis, & ambitum, *urbs*, operibus & ipſa, propugnaculiſque, firma, circumibat. Ingens olim ibi, nec ſilendum hoc loco, *naturæ prodigium*, hortenſis *ruta*; cum arbore *ficu* quacunque, ſeu *ſtirpis* craſſitie, ſeu *ramorum* diffuſione, ſeu denique *cacuminis* altitudine, certabat. Eam, adhuc Herodis Aſcalonitæ, filiorúmque, tempora viderunt. Porrò plantæ genus hoc, fugare *bufones*, ac *venenati* generis animalia quæcunque, fertur. Hæc *Ruta* ſola, Judæorum, illius loci cuſtodum, *invidiâ*, *livoréque*, tandem eſt *exciſa*. Nec mirum: cùm, ſub idem ferè temporis, *Joannes* quoque Baptiſta (*lilium* illud, & electa planta, *Solitudinis*) Macheruntæô clauſus carcere, decollatus occubuerit: & hoc; afflatu ſibilóque *duarum* nocentium *viperarum*: Herodiadis, inquam, inſtigatricis; & *filiæ* meretriculæ, *Saltatricis*. (cccc)

AUCTORES.

(A) *Jacobus Wormbſerus, in hodæporico anni 1561. in diem 9. Septembris.* (b) *Joannes Tucherus, Norimbergenſis, in Itinerario Palæſtinæ anni 1479. 25. Auguſti.* (c) *Chriſtianus Adrichomius, in* Juda, *num. 186.* (d) *Tucherus, in Itiner. cit. anni 1479. 25. Auguſti.* (e) *Continuator hodæporici Stephani de Gumpenberg, Equitis aurati, Franconis; in Peregrinatione anni 1449. die 26. & 29. Decembris.* (f) *Idem, ibid. & Felix Fabri, in hodæporico anni 1483. de Bethlehemo, fol. 140. editionis Francofurdenſis in fol.* (g) *Gumpenbergius, 28. Decembris, in hodæporico. Quantùm autem ad hoc monaſterium attinet: conſequenter ex iſto Parthenône ſuburbanô non fuerit* Suſanna *illa, DEO dicata, quondam Virgo; quam Bethlehemi* Sabinianus *diaconus vitiavit: in quam ideo, ſicut & in ſacrilegum ejus corruptorem, graviter, ac pro meritis amborum, intonat S. Hieronymus, epiſtolâ CXXV. cujus initium eſt,* Quid taces, anima? *& epiſtolâ 26. cujus verba prima ſunt;* Samuel quondam lugebat Saulem. *Fuit igitur* Suſanna *illa, ex Parthenone potiùs* urbano; *quàm*

quàm ex illo, de quo ſermo nobis hîc eſt, ſummœnianô. *Id quod & S. Doctor ſatis ipſe quoque innuit : dum* Sabinianum *coarguit*, non eſſe reveritum Dominici præſepis ſacraria; ſed apud ipſa Sanctuaria Suſannam de ſacrilegio ac ſtupro tentâſſe. (h) *Stephani Gumpenbergii continuator hodœporici, die 21. Novembris, anni 1449.* (i) *De hoc* Nemore *legitur, Geneſis cap. 21. verſu 33.* (k) *Joannes Helfericus, Lipſienſis, in deſcriptione Itineris ſui Orientalis, anni 1565. in diem Septembris, 9.* (*) *Q. Curtius lib. 3. de geſtis Alexandri. cap. 13.* (l) *In* Ruina Gazenſium, *occaſione* Dalilæ, *in Sorecana Valle habitantis.* (m) *De hoc* Vulpium monte, *in terra Tribûs* Dan, *Beatus Theodoretus ſcribit, & ex eo, ſubmonente Frontone Ducæo, Jacobus Salianus, in annum mundi 2880. num. 47. Quem* montem, *& Septuaginta Interpretes Romanæ editionis innuunt : cùm in 1. libri Judicum capite ſcribunt.* καὶ ἤρξατο ὁ Ἀμοῤῥαῖος κατοικεῖν, ἐν τῷ ὄρει ὀστρακώδει (*in monte teſtaceô*) ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι, καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες (*in quo erant* Urſi, *& in quo erant* Vulpes*) : intellige, tam Urſorum, quàm multò magìs &* Vulpium, *copia, ac multitudo.* (n) *Rudolphus Suchenſis, Canonicus Weſtphalus, in deſcriptione locorum Palæſtinæ, ab*

ab anno 1335. uſque ad annum 1350. (†) *Cornelius à Lapide, in Jonam; Commentatione, ſuper capitis 2. verba illa,* Vectes terræ concluſerunt me. *&c. de Scopulis* Joppæis, *his conſona loquitur.* (o) *Joannes, Comes Solmenſis, folio 71. hodæporici ſui, pag. 2. ad med. & aliquid etiam Felix Fabri, 1. parte Itinerarii, in diem Julii 3.* (p) *Melchior Seydlizius, in diem Julii 27. peregrinationis, & captivitatis Orientalis, anno 1556.* (q) *Idem, folio 257. in diem Julii 31.* (r) *Eſdræ libro ſecundô, cap. 7, v. 4.* Civitas autem *(inquit)* erat lata nimis, & grandis, *&c.* (s) *Jacobus Vormatienſis, in Deſcriptione Jeroſolymorum: quam ipſe urbem inſpexit anno 1561. die Septembris 9. & aliis pluribus.* (t) *Sereniſs. Alexander, Comes Palatinus Rheni, in Itinere ſuo Syriaco, anni 1595. 5. Septembris.* (u) *Rudolphus Suchenſis, titulô, de Jerichunte.* (x) *Idem Suchenſis, titulô, de Jordane, foliô 452. ad med.* (y) *Idem, ibid.* (z) *Wormbſerus, in Itinere anni 1561. 9. Septembris.*

(Aa) *Narrat Felix Fabri, Parte. 1. Itineris ſui Secundi in Palæſtin: folio 143. paginâ 2. editionis Francofordianæ, in Fol. & 144. ubi, tum de aliis, tũ de Gallo quodam; qui, tranſnatare Jordanem conatus, in ripam adverſam*

terræ Moabitidis ; ac tertiùm jam aquis Jordanis, ad alvei fundum, abreptus : exitio , ſuccurrentium ope, vix tandem eſt ereptus. Peregrinum præterea alium, annô 1583. ità, *ait*, ſubmerſum fuiſſe : ut nec corpus reperiri ad ſepulturam quiverit, à ſcrutantibus. (bb) *Idem, poſt locum , paullo antè adductum , fol. 144.* (cc) *Idem Felix, fol. 143. pag. 2. ubi refert: Comites ſuos, viros nobiliſſimos, id genus, æris Campani* nolarum, *Venetiis emptarum; ac poſtmodum*, baptiſmô *quaſi Jordanis tinctarum: ſecum in* Alemanniam *ſuam* Danubianam, *&* Gunzianam, *retuliſſe.* (dd) *Præter Adrichomium, in Ephraimo, numerô, 87. de* Saróna: *cætera, de Palæſtinæ Maritimâ, habet Melchior Seydlizius, capite 5. de Itinere, Joppâ Ramam versùs.* (ee) *Adrichomius, in Ephraim, num. 66. aliquid etiam hujus habet.* (ff) *Idem, in Ephraim, num. 96. ex S. Hieronymo.* (gg) *Gumpenbergius Franco, in 2. Oct.* (hh) *Idem, in 18. Januarii, anni 1450.* (ii) *4. reg. c. 17. à verſu 25.* (kk) *Pſalmô 67. v. 31. & ità ſentit Adrichomius, in Ephraim, num. 16.* (ll) *Rudolphus de Suchen, libro de 15. annis commorationis ſuæ in Palæſtina, fol. 452. Utebantur porrò homines tunc adhuc vulgò, paſſimq;, non ſclopis ac fiſtulis æneis; ſed Arcubus, ac Sagittis, è chorda nervóque miſſis.*

ſis. (mm) *Bernhardus, de Braitenbach, in hodæporico: & Adrichomius, in Manaſſe. I. num, 22.* (nn) *Ità Septuaginta,* Campum *nominant: quem cæteri* Vallem, *aut* Convallem. *Vallem quidem, quia loci depreſſioris: Convallem verò; quia montium utrimque jugis, à magna ſui parte, vallatur:* Campum *autem, propter planitiei latitudinem.* (oo) *Joann. 3. v. 23.* (pp) *Flavium Joſephum vide, lib. 17. antiquit. c. 6. & l. 1. de bello Judaico, cap. 20.* (qq) *Rudolphus Weſtphalus: titulô, de Cæſaréa Palaſtinæ.* (rr) *Joann. Werlinus, Baro de Zimmeren, in Actis Profectionis transmarinæ, anni 1583. die 26. Junii.* (ss) *Auctor Rudolphus de Suchen, titulô, de* Gelboë: *ubi* Monticulos *eos appellat, qui ſanè, quid eſſent aliud, quàm* Colles? *fol. 453. ſub initium.* (tt) *Chriſtianum Adrichomium vide, in deſcriptione Iſachar. num. 17. cum ſuis auctoribus.* (uu) *Aliquid de Ruina Tiberiadis habet Melchior Seydlizius, in diem 25. Aprilis. Cætera, Rudolphus Weſtphalus: Titulô, De Tiberiade.* (xx) *Gumpenbergius, in diem 22. Januarii, fol. 242.* (yy) *Rudolphus Suchenus, Titulô, de* Tabore mõte. (zz) *Idem. Qui addit;* Et illic, *& in omnibus Chriſtianorum tranſmarinis, ad Orientem, terris,* Feſtum Transfigurationis Dominicæ, *die*

die SS. Sixti & Agapiti, celebrari, ad ſua uſque tempora, conſuêſſe; confluxu Procerum, è nobilitate, civiúmque ſpectatioris ordinis, ingenti. Qui novô *(ut tunc anni tempus in Palaſtina fert) advectô ſecum* muſtó, *diem illum exigant hilarem: prævió tamen Sacroſancto Sacrificiô (cujus* Introitum, *ait, fuiſſe;* Dominus dixit ad me, *&c.) necnon præmiſſó pridianæ noctis pervigiliô; vexillíſq; ſecum apportatis, ac ſuper culmen templi, turrésve, defixis. Cuncta denique tranſigi ſingulari cum animi lætitiâ, precúmque fervore, ſolita fuiſſe.*

(Aaa) *Comes Solmenſis, fol. 68. ante fin. de Itinere ſuo tranſmarino.* (bbb) *Seydlitzius, capite 12. libri, de Itinere ſuo, & captivitate, in diem Aprilis 25. anni 1557.* (ccc) *Stephani Gumpenbergii Continuator, in ann. 1450. die 21. Januarii. Qui idem, ibidem,* Ringgoviæ *(tractui montano; ad Rheni ripam dexteram, inter* Moguntiacum, *&* Confluentes, *ſemet expandenti) valde affinem,* Galilææ *partem illam, affirmat. De* Duobus *item* Fontibus *urbis Nazarethi, auctor is idem eſt; in eundem, quem poſui, Januarii diem.* (ddd) *Annales Fluminenſis, in Dalmatia; auctore Hieronymô Angelitâ: & Horatius Turſellinus, hiſtoria Lauretanæ libro 1. cap. 2.* (eee) *Qui fuit*

fuit in Galilæa anno 1550. (fff) *Qui Galilæam luſtravit, ab anno 1336. uſque ad 1350.* (ggg) *Rudolphus Weſtphalus*, de Columna *illa*, & effigie Archangeli Gabrielis, *columnæ impreſſâ, tradit, foliô 453. Titulô, de urbe Nazareth. Idem addit, de eodem Templo, in quo Cella illa, ſeu* Thalamus *aut Conclave, Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ *fuerit; Id à Saracenis, ſuâ tempeſtate, fœdè admodum modis omnibus violari, deturparique, conſuêſſe: præcipuè verò, boum, aſinorum, camelorum, atque canum, intrà limina parietéſque templi, excoriatione. Unde videant; Quanam monſtra mortalium imitati ſint, quicunq, temporibus quoq, noſtrîs, ac patrum memoriâ, loca, DEO Superíſque ſacra, non diſpariter tractare ſunt auſi.* (hhh) *Capite 14. Captivitatis ſuæ deſcriptæ: quâ, Damaſcô Conſtantinopolim versùs, abductus fuit: ſuſceptâ, per ipſum Libanum, profectione. Cuj, de* Cedris, *aſſentitur etiam Daniel Eklinus, Arovienſis, Helvetius; in Actis profectionis ſuæ tranſmarinæ, anni 1552.* (iii) *Capite 12. circa medium, fol. 318. pag. 2.* (kkk) *Eklinus, Arovienſis, anno 1552. in diem 17. Maji.* (lll) *1. Machab. 12. v. 29. & 30.* (mmm) *Rudolphus de Suchen, Titulô, De Belo fluvio, & de rivo hoc, ibidem, fol. 443. pag. 2. poſt principium.*

Caput III.

cipium. (nnn) *Hiſtoriam expugnatæ Ptolemaidis, & hanc, de* fœminis Illuſtribus, *deſcribit Rudolphus Suchenas, fol. 442. maximè paginâ aversâ,&c.* (ooo) *Melchior Seydlizius, fol. 261. pag. 2. Videtur autem* Aquas *innuere* Meromæas : *infra quas, versùs* mare Galilæum, *Pontem, ait, Saxeum, à Jacobo Patriarcha, ſi non* ſtructum *(quod vulgus credit) ſaltem* nominatum (Jacobs = Brugg) *ſe pertranſiſſe : exemplô, tranſeuntis illà quondam Jacobi; cùm Eſau fratrem ſuum fugeret: è Chanaanitide ſe in Meſopotamiam, ſuaſu Rebeccæ matris, conferens.* (ppp) *Adrichomius, in Nephtalim, num. 27.* (qqq) *Seydlizius, fol. 261. pag. 2. Capite 12. Qui addit*; Videri ſibi, Fornicem illum fuiſſe partem, & reliquias, Portæ urbis antiquæ. (rrr) *Præter Adrichomium, ex Joſepho narrantem, num. 76. in Manaſſe 2: refert eadem, & Joannes, Comes Solmenſis, in hodæporico, fol. 66. pag. 2.* (sss) *De Ephróne urbe, habes 1. Machab. cap. 5. v. 46. & 2. Machab. 12. v. 27.* (ttt) *Apocal. 20. v. 9. & cap. 21. v. 8.* (uuu) *Hoc diſertè tradit, etiam Adrichomius, in Manaſſe 2. num. 51.* (xxx) *Id innuere cenſentur priſcis Hebræis, illa verba S. Scripturæ, 2. reg. cap. 18. v. 8.* Et multò plures erant, quos Saltus conſumpſerat: quàm hi,

hi, quos voraverat gladius, in die illa. *Abundabat enim* Leonibus, urſis, *aliiſque* beſtiis efferis, *Saltus Ephraim: quæ tunc adversùs Abſalomitas, pro Davide, cuncta pugnârunt.* (yyy) *Anna Maria, à Schurmans, Ultrajectina, epiſtolâ ad D. Conſtantinum Huygens: cujus initium;* Quamvis ob eminentiam, *&c.* (zzz) *Ludovico Granatenſi, libro 1, partéque 1. Ducis Peccatorum, cap. 9.*

(Aaaa) *1. Machabæor. cap. 9. à v. 37. ad v. 42.* (bbbb) *Libro 7. belli Judaici, cap. 25. apud Adrichomium, in Ruben. num. 11.* (cccc) *De* Ruta *hac, &* Carcere *quoque S. Joannis Baptiſtæ* Macheruntinô: *ſicut & de ejus* Decollatione, *ibidem peractâ, ex Joſephi lib. 18. antiquitatum c. 10. videri poteſt Adrichomius: Ex quo eodem, ſiqua ſinè certo nominatóque auctore videbuntur, in Tribubus Manaſſe 2. & Gad, ac Ruben, allata; peti poſſunt. In illis enim, recentioribus deſtituti Terrarum illarum trans Jordanem luſtratoribus; illius pæne ſolius, & auctorum ejus, cogebamur fide ſcribere.* Teſtimonia *verò ſemper afferre, unius & ejuſdem Scriptoris; & tædii plenum lectori futurum fuerat: & Auctori, nullius à legibus imperandum.*

CAPUT IV.

GENTES,

Terræ Chanaanitidi, vel immixtæ, vel circumjectæ; ſed plerumque Inimicæ,

Item,

Diffuſiùs nonnihil

De

DAMASCO.

ET hîs quidem, quos hucusq; recenſui, finibus, *Tribuúmque* Sortibus, TERRA CHANAANITIS circumſcribebatur: eáque, Numinis deſignatione, voluntatéque primâ, tota quanta, poſteris *Abrahami*, poſſidenda, debebatur. SED, è Populis illis, ac Finibus, complures, admodum ſerò tardéque; quidam etiam, omnino nunquam, ſub *Hebrææ* dominationis jugum (utì ſuprà querebamur) venerunt: culpâ, ſocordiáque, cultorum, à DEO deſignatorum; qui, Moſe Joſuáque ductoribus, in colonias mitte-

mittebantur. Quorum proinde vitiô factum eſt: ut *populi*, qui *clientes*, ac *ſtipendiarii*, futuri fuerant, ſi Numinis imperata feciſſent Iſraëlitæ; poſtea verterentur *aſſiduos* in *Hoſtes*: quò ſic univerſis conſtaret; *In Prœliis, & excidiis urbium, ac gentium, à Deo juſſis, ſiquid paullulùm ceſſes, ac parcas; Ignaviam, in Pœnitentiam: & Clementiam, in Cladem, converti. Quapropter, eo caſu, vel perdendum id eſſe, quod perire debet: vel pereundum iis, qui perdere debebant, & tamen abſtinebant.* In iis porrò, quos, impunitos indomitóſque fuiſſe, diximus, Hebræorum *hoſtibus*; fuerunt, ad *Occaſum* (utì non ſemel meminimus) *mediterranei-maris* accolæ, PHILISTÆI, facilè primi; cum TYRIIS, ac SIDONIIS: auxilia crebra *Philiſtino* nomini, fœderato, ſubmittentibus. (*A*). Ab *Orientis* tractu, tametſi principiò præteriri juſſi ſint *Ammonitæ Moabitæq́;* ceu *Lothi* Patriarchæ poſteritas: tam crebras illi tamen, graveſque, ſemper armorum inimicitias, adversùs omnem *Iſraëlis* ſtirpem, exercuerunt; utì tandem, ne Deô quidem prohibiturô, deleri mererentur: nulláque gentibus iis, utpote ſuâpte ſponte laceſſentibus, injuria poſſe contingere videretur; ſi ſtirpitus etiam eradicarentur. *Nec enim*

nim indè naſci debent offenſiones; unde naſcitur omne jus, & æquum; à Divina videlicet Juriſdictione. *(b) Nec ulli, Juſtam ſuam Clementiam, fas eſt, in Perniciem converti: longámque pœnæ, quam impii promerentur, dilationem, piis, nequaquam convenit, eſſe damnoſam.* (c) Alioquin enim, (quod abſit!) *melioris longè conditionis eſſent, qui malè, quàm, qui bene, rem gerunt*: *(d) improbíſque* barbarorum populis; *ſua Crudelitas*, atque *nequitia, patrocinio forent, adversùs bonorum lenitatem.* Poterant ergo jam dudum, ab Hebræis, *Ammonitæ* quoque, *Moabitæq́*, juſtis de cauſſis, exſcindi penitùs, & exſtirpari; ſicuti ſub *Aódo* quondam, ac *Jephtâ*, Judicibus, cœperant. Qui tamen, è diverſo, potiùs ipſi perditum ibant *Hebræos*. His autem barbarorum populis, operam plerumque ſuam jungebant Arabes, tam *propinqui*, quàm *remotiores*: putà, qui Desertam, quique *Mediam*, ac Felicem; & qui denique Petræam incolebant Arabiam, Auſtrali plagæ viciniorem. Cum *his* porrò (*Petræis*, inquam, Arabibus) Nabathæorum quoque populi; cum *illis* verò cæteris, Sabæorum nationes, amicitiam, opéſque belli, ſociabant. Ad *Orientem* item *æſtivum*, & Euro-aquilonem, *Cœlé-*

Caput IIII.

Cœlé-Syri: ſupráque Cœlé-Syros, *Batânæi* populi, connexi: nec ipſi ſemper *Hebræorum* favebant, vel paci, vel armis. Ad *Ortum* autem *hybernum*, poſt *Moabitas*, cis-Arnonem; *alii*, trans-Arnonem, *Moabitæ*, locîs incultioribus, ac ferè deſertîs, agitabant. Dein, ſub his, propiùs *Mare-mortuum*, MADIANITÆ *Minores*: quorum urbs regia, *Madiána*, partem, aut fines, occupat oræ *Moabitidis* interamnanæ, cultioris. de qua dictum in *Tribu Rubenitarum* eſt. Gens autem ipſa *Madianitarum*, longiùs aliquantò procurrit, ſupra *Petram-Deſerti*, meridiem verſùs: Hebræo nomini, nationíque, *ſemper inimica*. Poſt hanc, ad *Noti* plagam, propiùs *Eurum*, populoſior illa, diffuſiórque terrîs, AMALECITARUM natio ſedebat: ſupráque *Deſertum-Pharanæum*, ad Ægypti fines uſque, Mari Rubrô tenus, per obliquum extendebatur. Cujus gentis, vel *pars*, vel *colonia*, fuerunt, aut certè cognatio vetus, *Amalecitarum* illæ ſordes *Alpeſtres*; quæ, *Sinum* inter *Arabicum*, ac móntem *Sinæum*, in *Pharanis* Solitudine bellô pugnáque, feſſos-itineribus *Iſraëlitas*, vexâverunt. Quidam autem, ejuſdem illius nominis, populi, montes poſtea Sejrios, ad Idumæam, occupavêre: priorum illorum, de quibus dictum

ctum eſt, *Amalecitarum* reliquiæ. Sed eos *Quingenti* tandem *Simeonitæ* ſaltu ſuô, latebrîsque, dejectos, occidione deleverunt. (*e*) Verùm hi, *Latrones* potiùs, ac *ſpuma* quædam *amurcáque* gentis *Amalecitarum*; quàm, *juſtæ* plenæque *multitudinis* gens, fuerunt. Nos de *priſcis* illis loquebamur. Cæterùm, inter hos *Majores*, *Minorèsque*, ſanguinis *Amalecitici* populos; proximè Sinum Arabicum, interjacebant alii quidam, & à ſuperioribus diverſi, MADIANITÆ: *majores* utique, tum locorum ſpatiîs, tum gentis multitudine, *Madianitîs* illis; qui, *Rubenitarum* in ſorte, *Moabitis* erant adnexi. Vulgò, propter coloris, ac regionum, nonnullam viciniam, ÆTHIOPES-*Minores*, hi *Madianitæ* dicebantur. Cujus nationis, ac ſanguinis, *uxorem*, nomine *Sephoram*, Moſes olim, *Sacerdotis Madianæi filiam*, ſibi collocârat. Regionis autem *Æthiopum-Minorum*, nos in *Ruina* quoque *Generis Humani* mentionem intulimus. Quæ verò deinceps, *meridianam* ad *plagam*, conſederunt, barbarorum multitudines; & *Hebraici* nominis crebriores *hoſtes*: eæ, præter IDUMÆOS, Tribui-Judæ proximos, HORRÆORUM, ut plurimùm, erāt farragines: & AMORRHÆI *montani*; ſolitudinis Pharanææ

Caput IV,

næ *cultores.* CEDARENI præterea quos, origine quondam *Iſmaëlitas*, à patre, ſed *Agarenos* ab avia; poſterorum mendax ambitio (velut in Ruina Gentis illius memoravimus) SARACENOS, à noverca, tanquam nobiliore, nominavit. Cæterùm, *Cedarenos* hos(ſeu quis *Agarenos* eos appellare malit) ab *Ægypti-Rivo*, per obliqua terrarum, longìs ſolitudinum ſpatiis, ad *Sinaum* uſque *Deſertum*, ac *Sinûs Arabici* citimum littus, pertinentes: urbs Arabum, *Thora*, demum, ac *Madianitarum-Æthiopum* vicinia finit; ad *Orientis hyberni* plagam. Quam deinceps, Africum versùs, ÆGYPTUS, trans Sinum Arabicum, excipit: *Hebraicæ* gentis, ſicut olim *hoſpes*, ac nutrix, ſic poſtmodum *hoſtis*, & infectatrix. Tandem, ad *Septentriones* quoque terræ Chanaanitidis, HEVÆI degebant: tránſque LIBANUM montem, alii rurſus AMORRHÆI. Tum, & *Syrophœnices*; & Syri DAMASCENI; Syríque SOBÆI: necnon, PALMYRENI, quà flat Aquilo. Qui cuncti Septentrionis populi, non *ſitu* magìs *terrarum*, quàm *avitîs odiîs*, & armîs, *Iſraëlitis* opponebantur. Eminebant autem hoſtilitate (ſub Davidis præſertim, ac poſt ejus, tempora) Syri DAMASCENI. Quorum Reges, & inpri-

mis, *Adádus*, *Razon*, *Benadádus*, & *Házaël*, ac *Raſinus*: omnî barbarie tyrannidéq; gentem *Iſraëliticam* tractare geſtiebant. Ipſa DAMASCUS, illius, quam dixi, *Syriæ* caput; oblíta, ſe *Davidis* olim *ſtipendiariam* fuiſſe: *tanquam fæcunda malorum omnium*, in Hebræos, *matrix*; aliud ex alio, per multas tempeſtates, *hoſtilitatis ovum* in Judææ Samariæque reges, & urbes, effundebat: donec & ipſa tandem, variîs attrita cladibus, vindicem Numinis experta manum eſt; direpta, vexatáq;, Macedonicîs *Alexandri Magni*, Parmenioníſque Ducis, à copiis. *(f)* Preſſit Alexandri direptoris veſtigia, multa deinde poſt ſæcula, Rex Scytharum, *Háalon*: qui, ternâ *Damaſcum* oppugnatione, propemodum ad votorum ſuorum deſperationem, acriter adortus; denique tamen eam expugnavit: ac, *Rege* priùs *Damaſcenorum*, pro mœnibus ipſis urbis, & in oculis civium, in fruſtra concisô; *Damaſco*, ſanguine cæſorum undanti, ſed opibus exhauſtæ, filium ſuum Regem impoſuit: nomine (quod Heroldus, belli Sacri Continuator, tradit) *Agabum*. Preſſit deniq; Regum iſtorum hoſtilem ſemitam, ſed barbariore longè pede, *terror Orientis* ac Septentrionum, *Tamerlanes*; & ipſe Scytha: cum *Tarta-*

Tartarorum ſuorum multis myriadibus. Fertur enim armatorum *duodecies* habuiſſe *centena millia* ſub ſignis; cùm, ſub annum ferè milleſimum quadringenteſimum, à Chriſto natô, repletîs cæſorum immensâ multitudine foſsîs; hac ratione viam ſibi, ſuiſque copiis, in urbem faceret: *Damaſcúmque* tandem occuparet. Ac principiò quidem urbi, quò minùs eam, utì cæteras, æquaret ſolo, peperciſſe ferebatur: magìs, utì *Templo* civitatis principi, quàm uti *civibus*, eorumque tectis, caveretur; quippe, majeſtatem reveritus illius *Ædis*, cujus, incredibilem terris noſtratibus, amplitudinē, ingentes ac ſpecioſiſſimæ *quadraginta* porticus ambibant: *novem* verò *millia*, partim ex *argento* partim ex *auro* ſolido, *lampadum*, æternîs inſtructa lucernîs, illuſtrabant. Cùm autem, ſub *Tamerlanis* diſceſſum, ab Ægyptiis, Saladino Memphitico juratîs, ac præſertim à *Mammeluccis*, poſtliminiò recepta *Damaſcus* eſſet: eam denuò, *Tamerlanes*, circumſeſſam, & acriùs multò, quàm antea, machinîs, & hoſtilitatis omnî vi, verberatam; deniq; recepit. Ibi *Muphtum* Mahometicum (ità *Pontifices* illi ſuos appellant) cum Infulîs ſibi, cultúque ſupplice, nec ſinè minoris nominis ſacrificulorum agminibus,

Caput IV.

nibus, occurrentem; in illud ipſum, quod antè paullò celebravi, *Fanum*, cum omni comitatu, faceſſere juſſit. Ibi Flamines illos ſuæ legis (nam & ipſe Mahometanus erat) cum *tredecim* prçterea *millibus* utriuſq; ſexûs *Damaſcenorum*, concluſos; immanî circumjectâ materie, virgultorúmque ſtrue, miſeros incendit: horrendíſque templi tecta, cœlúmque, clamoribus ac lamentîs rumpentes; vivos, ac ſpirantes, ad unum omnes concremavit. Quanta verò cæterorum, extra *baſilicam* illam, fuerit, interfectorum à Tamerlanicis, multitudo: potuerunt argumento *Tres* eſſe *Turres*; quas, confectâ jam omni victoriâ, funditúſque deuſtâ dirutâque *Damaſcô*, Tamerlanes, trophæorum inſtar, exſtruxit: non, è ſaxis, aut laterculis, aliarum more turrium; ſed è ſolis, puris putis, cæſorum Damaſcenorum, ingeniosè cõpactîs, (quis non exhorreſcat?) *calvariîs*. (g) Et tamen, poſt has tantas, ac tam immanes clades, póſtque tot exſcidia; reparari ſenſim urbs cœpit: quæ jam nihil, niſi cinis, ac pulvis, erat. Et quidem *Ægyptii Sultani*, poſt interitum *Tamerlanis*, auſpiciîs, & impensîs, caput, ac nonnullam urbis imaginem, attollebat. Attamen tardè, viliqúe ſtructuræ genere, *recens*,

cens, ac pæne fumans adhuc ab incendiis ſuis, *Damaſcus* procedebat. Auctorem habeo, *Stephani Gumpenbergii*, nobilis, inter Francones, *Equitis-Aurati*, Continuatorem Itineris Syriaci; qui ſuiſmet oculîs *Damaſcum*, ab exſcidio, per *Tamerlanem* illatô, non plus annîs octodecim elapsîs, obivit: eam *lutô* forìs, pléraq; per domicilia; *laterculîs* autem, ſed crudîs & inexcoctîs, *interiùs* compactam. Ad ſummam! Nondum, poſt quinque temporum *luſtra*, trienniúmque præterea, ſplendiorem *Damaſcus* induerat faciem; ac ſi *biennis* primulùm à *Ruina* foret. (*h*) Cauſſam ego tenuitatis, ac ſordium tunc, in ædificando, paupertatem fuiſſe, rear; priſtinorum inprímis incolarum: qui, repetendi recuperandíq; patrii ſoli cauſsâ, paſſim finitimîs ex oris confluxerant. At hi primò quidẽ, pleráq; ſui parte, *pauperes* erant, & *exſangues*: & ex eorum proletariâ claſſe, quorum *Tamèrlanes*, non antè multò, multitudinem propemodum innumerabilem excedere mœnibus juſſerat: momentíſque ſingulîs, in planitie, muris ſubjectâ, ſtantes opperiri mortem. Sanéque, *medios diſſecari* cunctos, imperârat. & illi, crudelitatis hôc compendiô, tanquam unum omnes habuiſſent corpus, ad unum

interiſſent omnes: niſi, pro quibus apud *Tamerlanem* nihil valuerat humanitatis ratio; valuiſſet apud *deſignatos carnifices*, elumbis jam, occidendi voluntas: & exhauſta, tot cædium continuatione, diſcindendi virtus, ac ſucceſſus. Miſeros igitur illos, ſub dio deſtitutos, juſſit tyrannus, cùm *acinace* non poſſent, interire *fame*: vitæ ſubtractîs alimentîs. Interierunt ergo *permulti*; quippe, *diẽ* in *octavum* uſq; protractâ miſerabiliter inediâ. Ne perirent *univerſi*; neu' reliquiæ ſaltẽ incolarum urbi, quondam reſtituendæ, deeſſent: extèmporalis fecit, cœlô demiſſa pluvia: non *aquarum* copioſior liberaliórque; quàm, innumerabilium, ac digiti magnitudine grandium, *locuſtarum*. Iis, ſuper fumantis adhuc & æſtuantis urbis rudera, ſupérque ſubjectas prunas, impoſitis: fame confecti *Damaſceni*, tamdiu, *Tamerlane* jam digreſsô, victitârunt; quoad aliunde, finitimîs ab urbibus, ac populis, importatô victu, remedium afferretur. Indè, ſua miſeris his, eorúmque poſteris, multos in annos conſequentes, hæſit *egeſtas*; vitæ magìs ſuſtentandæ, quàm ſplendoris in ædificando, ſollicita. Si qui verò civium, ac nobilitatis, *Tamerlane* graſſante, facultatibus ac fortunîs eminuiſſent: ii, poſt diſceſ-

diſceſſum, è fuga réduces, aut non inveniebāt,aut inventa non agnoſcebant,ea, quibus aurum defoderant, loca: quippe,flammîs,in incendiô communi, confusâ paſſim, quin & abolitâ, domiciliorum notâ; ſimùl cum ipſa notitiâ. Cæterorum autem urbis incolarum, quorum repertæ *palàm*, aut refoſſæ *per induſtriam*, opes erant; uſqueadeo demeſſuerat opulentiam *Tamerlanes*: ut *camelorum*,feratur,*novem millia*, raptô, per dies illos, aurô, gemmîs, argentô, cæteríque generis ſpoliîs pretiosîs,onerâſſe: ſecúmque, theſauris inferenda ſuis, unà cum *ducentis* captivorum incolarum *millibus*, deportâſſe, (*i*) Quanquam autem, in hunc, quem retuli, modum, exhauſta deſtrictáque, *Damaſcus* urbs: ſenſim tamen, eouſque priſcæ ſuæ cœpit amplitudinis, amœnitatíſque, veſtigiis adrepere;beneficiô ſedulitatéque convenarum: ut, qui luſtravit eam, nondum plenô poſt excidium Tamerlanæum evolutô *vicenniô*; Damaſcenæ ſolius *urbis* amplitudinem, unà cum mœnium ac pomœriorum ambitu,cenſeat,*quatuor Norimbergarum* (ut ipſe loquitur) ſpatiis ac magnitudinibus, antecellere. Siquis autem *Damaſcum* expendat, unà cum *Suburbiis* etiam

Caput IV.

ſuîs: quæ perpetuô, tum nemorum hortorúmque, tum prædiorum ac turrium domiciliorúmque, nexu; velut ingentî circumcirca ſylvâ, duorum circiter milliariûm itinere coronant urbem: pronuntiat idem; Tantæ *Damaſcum* eſſe magnitudinis: ut, *quidquid eſt*, *Obuſium inter*, *&* *Herbipolim* (illius hæc verba ſunt) *intervalli, totum id ſedibus ſuîs, & ædibus, occupatura foret.* (k) Fluviîs porrò rigatur etiamnum iîs; quos, cum *Jordanis* olim amne comparatos, *Náaman* Syrus laudibus extulit, Laudibus, inquã, ſanè non immeritîs: ſi, Jordanis ſepoſitîs tantiſper myſteriîs, atq; prodigiîs, *flumínum* quis *Damaſcenorum* limpidam, & amœni frigoris, ſaporíſq; dulcis, undam, per ſe nudam, ſub cenſum vocet. Fœcundantur iîſdem *amnibus*, & eorum *aquæductibus*, etiam pomaria, nemoráque circumjecta; quippe, quàm creberrimis eò diductîs, arte naturáq;, rivîs. Indè ſoli, propemodum humanâ fide major, circa *Damaſcum*, nullô non anni tempore, fertilitas, atque luxuria: ſemper, etiam *mediâ brumâ*, vernans. (l) Indè quoque *volucrum* canorarum, tam in *nemoribus ſuburbanîs*, quàm urbanos ante clathros ac feneſtras, in *caveîs*, aſſiduum, dulciſſimúmq; delicatis auribus, cantandi certamen: &, quod

Caput IV.

quod mireris, *hybernis*, quàm aliorum anni temporum, *menſibus*, conſtantius intenſiúſque multò, quodammodóq; flagrantius. Crediderim; ad hanc *luſciniarum caſſitarúmq;* (mm) vocalem lætitiam, conferre quàm plurimùm, non modò viridariorum arbuſtorúmq;, ſemper, aliquâ ſaltem parte ſuî, vel *florentium*, vel *fructus* oſtentantium, aſpectũ, ac propinquitatem: ſed etiam *aëris hyberni*, præ *menſium æſtivorum* intolerabilibus incẽdiis, gratiſſimam animantibus, temperiem. Hæc eádem efficere videtur; ut, induſtriâ docentiũ vel mediocriter tantùm adjutæ, *volucres* illic & *aliæ*, nominis cæteroquin, ac censûs, ignobilioris, cujuſmodi ſunt, *upupæ*, *merulæ*, *corvi*, *monedulæq;*: dies plerumq; totos, hominum in plateis frequentiæ, vocibus-humanis obſtrepant, & interloquantur (*n*). Sed iſta, per *digreſſionem* hucuſquè dicta; modum, hôc locô, finémque ſuum, accipiant. Producta *novior* Damaſcus nobis eſt; ut indè magnificentia, copiæque, Damaſci *veteris* relucerent: *potẽtiſſimæ*, ſinè dubio, tantas inter opes, Hebræorum-*hoſtis*. Interim, ex me ſiquis exquirat; *Utram* malim? *Priſcam* utique, quàm *hodiernam*, prædicare malim. Nam iſta, Mahometis eſt in volutabro, tenebroſâ-

Caput IV.

que Lunâ, tota. Sed illius antiquioris *Suburbia*, PAULUM nobis, *Orbis Lumen*; URBS autem ipſa, JOANNEM dedit, DAMASCENUM; manu, de cœlo reſtitutâ, Luminis Catholici propugnatorem. *(o.)* Horum utriuſque, *ſolidè - contextâ* Doctrinâ, Chriſtianorum *Orthodoxus* amicitur *Oriens*, & *Occidens*. Hac *Diploide* ſe circumſpicit: hac VESTE DAMASCENA, Chriſti *Sponſa* ſibi placet, *Eccleſia*.

AUCTORES.

(A) *Vide Cornelium à Lapide, & Jacobum Salianum, de prælio ad Maſpham commiſſo; adversùs Samuelem, & Iſraëlem univerſum:* Congregatos coram Domino, *ut loquitur Sacer ſcriptor. l. 1. reg. cap. 7. Quo loco, auctores hi, ex libro Eccleſiaſtici, probant;* Tyrios, *ac* Sidonios, *auxilia ſua* Philiſthæis *ſubmiſiſſe.* (b) *Sicut eodem trahi poteſt illud Jureconſulti,* Injuriæ indè naſci non debent, unde Jura naſcuntur. *l. meminerit. C. unde vi. & Extra. de accuſa. c. qualiter, & quando.* (c) *l. 2. Omnes autem. ff. de Judi.* (d) *Contra illud Juriſconſulti;* Non debent melioris eſſe conditionis, malè agentes; quàm bene. *ff. de noxa,*

noxa, ac l. non ſolùm. (e) *1. Paralipomenon. cap. 4. v. 42.* (f) *Q. Curtius, lib. 3. de geſtis Alexandri Magni, ad fin.* (g) *Hæc, ex Heroldi libro 6. Continuationis belli Sacri, refert etiam Adrichomius, in Manaſſe 2. num. 40. §. Eandem urbem &c. ac deinceps, ad ipſum ferè finem.* (h) *Foliô 242. pag. 2. & fol. 243. editionis Francofordianæ, in fol.* (i) *Idem fol. 243.* (k) *De ſpatio duorum milliarium, innuit Melchior Seydlizius, fol. 263. capite 13. Clarè verò affirmat idem, Rudolphus Suchenſis, fol. 454. titulô, De Damaſco. De cæteris autem hoc loco allatîs, ut, de Norimberga, Herbipoli, Obuſio; legendus Gumpenbergii Continuator, fol. 242. & fol. 243.* (l) *Daniel Eklinus, Helvetius, fol. 402. Qui, præter hæc, addit; Suo tempore Damaſcum inſigniter, admodúmque magnificè, fuiſſe reparatam. Luſtravit autem is Syriam Damaſcenam anno 1552.* (m) *Has enim ipſas* aves *nominatim ponit Rudolphus Suchenſis, fol. 454. titulô, de Damaſco.* (n) *Idem, ibid.* (o) *In Libris,* de fide orthodoxa, *aliíſque compluribus. Porrò* S. Joannis Damaſceni *non tantùm illic cunabula, patriúmque ſolum fuerunt: ſed etiam Sepulcrum; & in eo, corpus tanti Doctoris, cóndítum in templo urbis illius ſplendidiſſimo, quod Saraceni tamen,* poſt-

poſt hæc, occupârunt: hodiéque Turcæ tenent. Cujus ante portam, & ingreſſum, DEI MAJESTAS, elegantiſſimâ, ſumméque magnificâ, picturâ expreſſa, ante trecentos abhinc annos erat: incitandæ mortalium, qui templum erant ingreſſuri, pietati, precandique ardori. Tradit Rudolphus Weſtphalus, fol. 454, circa med. titulô, De urbe Damaſco.

TOPOTHESIÆ FINIS.

TOPO-

TOPOTHESIÆ SELECTIORUM INDICULUS.

A.

Abſalom, in ſaltu Ephraim. 117. &c.
Angelus, nauta, & tranſvector, gratuitus, 102 & 103.
Antichriſti Patria, quænam futura videatur, 113.
Antipatridis urbis, Rivus, Inſula, nemus. 20.
Aroër urbs, terræmotu ſubruta. 119.
Aſphaltites Lacus. *V.* Mare Mortuum.
Aves Damaſcenæ, 151.

B.

Bethábara, aliter *Bethania*: (trans Iordanem) 125. Ibi baptizari adulti geſtiebant. Ibid.
Bethlehemum, oppidum Iudææ. 49. Ejus Amœnitas, ac cætera, memoratu digna. Ibid. & 50. Cœnobium Virginum illic. 50.
Bethlehemum Galilææ. 88.
Bethſaida Galilææ. 90.

C.

Caſaréa Palæſtina, magnificentia. 80. & 81.
Caiphas urbs, cujus auctoris? 86.
Callirrhoë urbs, Bajæ Palæſtinæ. 127.
Cana Galilea, gemina. 88. & 89. & 98.
Capharnaum urbs. 107. Quãtùm à ſe hodie diverſa. 108.
Carith, Eliæ torrens. 23.
Carmelus, mons editiſſimus. 83.
Cavea Tyriorum. 98.
Cedar-tabernacula. V. Tabernacula.
Cedron torrens. 62.
Cendevia Palus, vitri ferax. 100.
Corozain, urbs. 113.
Crocodili, in Palude. 86.

D.

Damascus urbs; ejúſque rariora, à pag. 144. uſque ad fin. Ejus amplitudo. 149. & 150. Aquæ, rivíque. 150. Aves, illic ſemper canoræ, garrulæque. 151. S. Ioannis Damaſceni Sepulcrum, & corpus. 153. Ejuſdem Templum nobiliſſimum. 153. & Imago

mago Divinæ Majeſtatis, pro fonibus. 154.
Dathnis fons. 104.
Dora, plures, ejuſdem nominis, urbes 78

E.

Eliæ prophetæ patria. 118.
Ephraim Saltus, Abſalomi clade funeſtus. 117. belluarum voracium ferax, ibid. & 118. Item 136. & 137.

F.

Flumen Sabbaticũ. V. *Sabbaticum.*

G.

Gadarenus lacus. 112.
Galaad mons, rebus nonnullis inſignis. 115. & 116.
Galilææ facies hodierna. 93.
Galilæum mare. V. *Mare.*
Gámala. 56.
Gaza urbs, 54. & 55.
Gelboë montes. 83. Religioſis habitatoribus frequentati, 84. & 133.
Géraſa urbs. 113. Geraſeni Porci. 113. & 114.

H.

Hebrón, urbs. 50. Ad eam, ſepulcrum triũ Patriarcharum, &c. peregrinis cautè adeundum. 51.

I.

Iephthæ filia, victima. 120.
Ieremias Propheta, ubínam Arcam recondiderit. 122.
Iericho, qualis hodie. 64.
Ierosolyma, qualis, noviſſimis temporibus. 64. & quanta hodie. ibid.
Iezraël, urbs. 79.
Ioannes Baptiſta, decollatus. 128.
Ioppe, urbs, ac portus. 60. Ejus nonnulla, memoratu digna. 61.
Iordanes amnis, 21. & 22. Quàm latus alicubi. 65. Quàm periculoſus natantibus. 65. &c. Item, 131. & 132. In eo, cur nolæ, tintinnabuláq; baptizati ſolerent olim, 66. & 132. Ad illius ripas, utrimque Leones, aliæque feræ. 72. 73. 74. 75. Itémque de eodem rurſus, 104.
Ituræa Regio, bipartita. 39.
Iudæ proditoris patria. 70.

L.

Lauretana Deiparæ Domus. 93.
Leones, ad Iordanem. 72. Leo mirandus. 74 & 75.
Libani montis, quædam obſervatu digna. 98. fin. & 99. & 100.
Locuſtarum extemporalis & admiranda Pluvia, famem pellit. 148

M.

Mácherus, caſtellum, urbs, & Herodis Regia, 127. & 128.
Machabæorum, ad urbem Modin,

din, monimenta. 59.
Mamma duę lapideç, ſemper, ac ſalubriter, undoſæ. 127. & quidem aquîs diverſiſſimîs, ibid.
Mare Mortuum, quàm longum? 47. & 48. Quàm infelicis, ac damnatæ, naturæ. 48. Quídnam utile proferat. ibid.
Maris Galilæi ora peramœna. 87. Ejus longitudinis, ac latitudinis, &c. ſpatium. 89. Ejuſdem Aqua, qualis. 90.
Meromæa Aquæ. 107.
Mons-Chriſti. 105.
Mulieres Ptolemaidenſes. 102. & 103.

N.

Nais regiuncula, num ad Caini cædem pertineat. 28. & 29.
NAZARETHUM urbs. 88. De eádem, fuſiùs. 92. 93. 94. Nazarethanum templum, 93. & Columna templi, memorabilis. 94. & 135. Idem templum, à Saracenis fœdè profanari ſolitum. 135.
Nuptiæ, luctu fœdatæ. 124.

O.

Ogi, Gigantis, ac Regis, Sedes Regia, & *Lectus*. 116.
Origenis Sepulcrū. 101.

P.

PALAESTINAE, ſeu, *Chanaanitidis* regionis, deſcriptio. à pag. 12. Ejus termini, latitudo, ac longitudo. 13. & 14. Illius torrentes, Amnes, Rivi, &c. à pag. 15. Cur *Paleſtinæ* nomen, pro univerſa Terra Sancta, invaluiſſe videri poſſit. 31. & 32.
Phiala, fons memorabilis. 104. & 110. Origo Iordanis creditur. 110.
Philiſthææ regionis amœni cāpi. 68. & valde fertiles. 69.
Piſcina Heſebonis. 123.
Ptolemaidis urbis luctuoſum excidium. 101. 102. 103.

R.

Radix mirabilis effectûs. 26.
Ramatha Samuelis. 81. Ad eam urbē, à Ioppe, via qualis, & quanta. 71. Urbis ejuſdem hodierna magnitudo quanta. 72.
Reblatha, Galilææ urbs. 106.
Ringgovia, ad Rhenum. 134.
Rotenburgum, ad Neccarum. 72.
Rutha hortenſis, exoticæ magnitudinis. 128.

S.

Sabbaticum - flumen, mirandum. 17. & 18.
Sacrificuli Mahometani combuſti. 146.

Sarepta Sidoniorum. 39. 40.
Spelunca Sidoniorum. 98.
Suſanna, monialis Bethlehemitica, corrupta. 129. & 130.
Syro-Phœnicia, ubi. 38. & 39.

T.

Tabernacula Cedar. 35.
Tabor mons. 91. De illo recentiora, cognitu digna. 91. & 92. Item, 133. & 134.
Tamerlanis, in Damaſcum, ac Damaſcenos, immanitas. à pag. 145. uſque ad 148. Ejuſdem, de eiſdem, præda ingẽs reportata, & avecta. 149.
Tarichéa, urbs. 84.
Templum, Auguſto Cæſari, adhuc viventi, exſtructum. 105.
Tiberias, urbs. 90.
Transfigurationis Chriſti feſtum, quanta ſollemnitate in Oriente ageretur. 133. & 134.
Turres, è calvariis humanis. 147.

V.

Vallis Terebinthi, 17. *Vallis* Sephăthæ, victoriâ celebris. 46. & 47. *Vallis* Illuſtris. 77. & 133. *Vallis* Baaras; ejúſque mirifica radix. 126.
Venenatorum animalium patiens, unâ ſuî ripâ; alterâ verò impatiens, Rivus quidam. 100. & 101.
Vulpium-mons, Samſonis. 130.

A011468213

BIB
V